

## **De verbis latinae linguae auxiliaribus.**

### **Pars III.**

§. 1. Fugerit interea volvens vicesimus annus, ex quo primum institui de verbis auxiliariis disserere, duobusque lustris interjectis alterum edidi specimen. In qua re unum hoc poenitet, quod non potius periphrastica verba appellavi, quam auxiliaria. Verumtamen quum periphrasis illius ratio duplex sit, aut ut indigentiae linguae subveniatur (silentio facto, quum silendi verbum eo participio careat, admirationem habere, quoniam admirandi passivum deest), aut ut fastidium et satietas aurium varietate orationis evitetur (escendi in rostra, concursus est populi factus verbisque meis plausus ab omnibus datus), auxiliaria autem verba verborum ipsorum declinationem expleant et inopiae medeantur, sit ita sane, et, quum auxiliandi potestas utriusque generi sit communis, communi nomine omnia auxiliaria vocentur. Itaque tertia nunc de verbis auxiliariis procedit disputatio.

Tantis autem temporis intervallis opus absolvı non est quod mirere: nam cui nostrum idem licet profiteri, quod apud Ciceronem de se praedicat Q. Tubero Africano avunculo, sibi omne tempus ad libros suos literasque explicandas esse vacuum? quotocunque autem, aliquantum temporis? Sed quam saepe scientiae delectatio instituendi contentionibus impediatur et emendandi laboribus frangatur, et alii questi sunt multi, nec hujus loci est pluribus persequi.

§. 2. Agendum mihi erit de his verbis: esse, habere, tenere, fore, forem, ire.

§. 3. Dicit agmen verbum quod ajunt substantivum esse, cuius cum participiis conjunctio varia est et multiplex. Ac de ceteris quidem participiis multi multa: ego, quem locum parum cognitum et perspectum habemus, eum patefacere et illustrare conabor. Namque praesentium participia quanta et formae similitudine adjectivis propinquā sint et potestatis affinitate conjuncta, nemo ignorat. Nam elegans et alegans, clemens et premens, petulans et penetrans ex diverso genere esse quis auribus sentiat?

Potestatis autem illud tantum discriminē intercedit, quod participia in aliqua parte temporis, adjectiva in perpetuitate dicuntur. Quamobrem nihil mirum, quod ut efficerentur praedicata, participiorum quoque generis usus paratus fuit. Et profecto, quantum subsidii ac supplementi adjectiva ex participiorum finibus sibi adsciverint, vix dici potest.

Ac primum genus est eorum, quae in civitatem jurisque aequitatem recepta participiorum naturam et consuetudinem exuerunt, ut sapiens, arrogans, potens \*): alterum inquilineorum huc illuc migrantium, ut diligens, conveniens, florens, tertium accolarum raro participiorum terminos egredientium, quod genus est, si audacem hominem audentem, mendacem falalentem, laetum gaudentem dicas.

§. 4. Haec igitur participia copulae quam dicunt vinculo ad enunciatum efficiendum cum subjectis ita conjunguntur, ut plus minus verbo, unde ducta sunt, finito sententiae satis fiat. Cuius rei si non suasor, at auctor est Aristot. Metaph. IV. 7: οὐδὲν γάρ διαφέρει τὸ ἄνθρωπος ὑγιαίνων ἐστιν ἢ τὸ ἄνθρωπος ὑγιαίνει, ἢ τὸ ἄνθρωπος βαδίζων ἐστὶν ἢ τέμνων τοῦ ἄνθρωπον βαδίζειν ἢ τέμνειν. A graecis technologis σχῆμα vocabatur Χακιδιακόν, de quo audiendus est Lesbonax p. 197 Valck. et Intpp. ad Eurip. Hecub. 1169, cuius est senarius ἢ νῦν λέγων τις ἐστιν, ἢ μέλλει λέγειν. Hanc figuram apud infimam latinitatem percrebuisse ait Salmasius: verum et apud antiquos et multo ante cadentem veteris orationis integritatem satis late hoc genus diffusum fuisse iam apparebit. Minus huc pertinent ea, quae ad Vigerum p. 302 collecta cum latinis scientem, abhorrentem esse comparantur, ideo quod ex praeteritorum participiis petita sunt omnia: sed plane convenient haec: δοσα ἐξ αἰσχύνην ἐστὶ φέροντα Hdt. III. 133 (idem l. 10 ἐς αἰσχύνην φέρει); εἴ τις ἐπ' αὐτῷ γελῶν εἴη Lucian. Nero 7, quod Jacobitzius tenuit, Dindorfius mutavit γελώῃ, et apud eundem, quod mirabilius est auditu, καὶ οὐκ ἦν ἐξδον καταπεσεῖν Asin. 16, et quae in suspicionem adduci possent, nisi exemplorum copia confirmarentur, ἐστιν ὡν, γιγνόμενος, v. Krueg. Gr. gr. 56. 3. adn. 3. Accedunt quae ab adjectivis antecedentibus, si qua opus esset, excusationem haberent: γένος οὐδέν ἐστιν ἔξωλέστερον οὐδὲ μᾶλλον ἐκτραχηλίζον τὴν νεότητα Plut. de lib. educ. p. 13 A., vel quod est in Phaedone p. 82 A. οὐκοῦν εὐδαιμονέστατοι ἐισι καὶ εἰς βέλτιστον τόπον ἴοντες; et Aristoph. Eqq. 265 δοτις ἐστὶν ἀμυνῶν καὶ τρέμων τὰ πρόγματα. Haec consequi Latini potuerunt: non potuerunt, ut Graeci, variare addito articulo (Matth. gr. gr. p. 556), quo facto participia ad substantivorum potestatem evehuntur: nam quod de Tegeatis Herodotus IX. 70 narrat: οὗτοι ἡσαν οἱ διαρπάσαντες τὴν σκηνὴν τοῦ Μαρδονίου, in hoc οἱ διαρπάσαντες, si vim ei voci subjectam respicis, nihil distat a substantivo οἱ διαρπάσται. Item Sophocleum versum Ajac. 522 χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἢ τίκτουν ἀεὶ latine ita vertas: gratia enim semper gratiae parens est. Tertia est ratio neutrius generis articulo adjecto: οὐκοῦν τὸ μὲν ἐπιθυμοῦν ἦν ἡ ψυχή, τὸ δὲ τὴν ἀλγηδόνα τὸ σῶμα ἦν τὸ παρεχόμενον; Plat. Phileb. 41 C., in quo genere Latinos iterum articuli commoditas defecit. Ita fit, ut, quum Graeci possint aut ἡ ψυχή ἐπιθυμεῖ, aut ἡ ψυχή ἐστιν ἐπιθυμοῦσα, aut ἡ ψυχή ἐστιν ἡ ἐπιθυμοῦσα, aut denique ἡ ψυχή ἐστι τὸ ἐπιθυμοῦν, Latinis duae rationes praesto sint: animus cupit et animus est cupiens. Sic Cicero τὰ πνεῦμα moventia vertit Tusc. V. 24. 68; τούτῳ τὸ ἐπόμενον (τὸ ἐφεσῆς) id sequens, de Fin. III. 10. 33; τὰ συναπολονθοῦντα consequentia Part. or. 23. 82; 35. 120; 36. 126. 127, quod plane substantivi naturam induit: consequens aliquod, de Fin. IV. 24. 68; τὰ συνεχόμενα continentia Part. or. 29. 103.

Sed hac re superior est latina lingua, quod magna ex parte ejusmodi participia modo moveri possunt per gradus, modo negari particula privanti, modo utrumque: amantior, amantissimus, insciens, intemperans, impudentior, impudentissimus. Ita maxime in enumerandis vitiis vel virtutibus sive hominis sive rei participia aliis praedicatis inseruntur:

\*) Lexicis, quae ex Digestis et ex Appulejo hoc infinitivis appositum afferunt, addendum est Ennianum Annal. 237 Vahl. bellum tolerare potentes, condonandum, ut videtur, poetarum rationi genitivum infinitivo redditum. cupidus attingere metam, cantare peritus, v. Ferd. Schultz. Gr. lat. 384 adn. 1.

poterit esse celsus et erectus et omnia humana parva ducens Cic. Tusc. V. 14. 42; expedita erat et per facile currens oratio, id. Brut. 63. 227. Quocirca justa videtur causa, cur offendamus loco qui est de Orat. III. 24. 91: hae duae partes, quarum altera dici postulat ornata, altera apte, hanc habent vim, ut (oratio) sit quam maxime jucunda, quam<sup>\*</sup> maxime in sensu eorum qui audiunt influat, et quam plurimis sit rebus instructa. Quem locum ego etsi a nullo reprehensum video, aliquid labis habere tum illam ob causam suspicor quam dixi, tum propterea quod, quum duo deberent membra duabus postulationibus respondere, nos tria legimus atque tertium insolito more adnexum. Ergo vide ne haec exterminanda sint: sit quam maxime jucunda, quae legentum aliquis adscriptisse putandus est, ut interpretaretur scilicet, quid esset in sensu influere (blanditiis Papirius nuper influebat in aures concionis Lael. 25. 95; assentior Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos, de Leg. II. 15. 38): inde librarius ut a Cicerone scriptum trium membrorum primum esse opinatus recepit.

§. 5. Separanda sunt ab his ea, in quibus esse verbum faciendi i. e. inducendi, fingendi passivum efficit, quae vis ei vocabulo, quod solet hoc munere fungi, ita tantum subjicitur, ut non sit cum participiis conjunctum. Usitata sunt Ciceroni haec: homo non doctior nec sanctior fieri potest, Epist. ad Attic. VI. 1. 9; hoc perditius fieri nihil potest ibid. XI. 18: sed nunquam legitur in hunc modum: fit apud Platonem Socrates dicens, verum est dicens. Recte de eo genere et vere Gieseus disputavit ad Cic. de Divin. I. 25: comparari potest quodam modo: illis silentibus Amasamius exstitit dicens (de Nat. D. IV. 3. 6), quod sine dubio aliter scriptum edidisset, nisi pari participio par redditum esse voluisse.

§. 6. Alteram praeterea res habet cautionem in discernendis adjectivis et participiis. Nam si exempli gratia in libro de Offic. I. 42. 151 haec leguntur: sin mercatura magna (est) et copiosa, multa undique apportans multisque sine vanitate impertiens, quamvis huc spectare videantur, ego tamen participia esse malo quam adjectiva, nec cum verbo substantivo conflenda esse arbitror, quod posteriore illam partem priori non adjunxisse sed subjunxisse Cicero videtur, ut, qualem esse diceret magnam et copiosam mercaturam, demonstraret. Ad eandem regulam dirigendum, quod est in Offic. II. 13. 46: qui se ad claros et sapientes viros bene consulentes reipublicae contulerunt: nam si pro adjectivo esset, copulantis particulae vinculum nullo modo poterat omitti. Addo de Or. III. 8. 31: limatus est alter et subtilis, rem explicans aptis verbis.

§. 7. His igitur adhibitis cautionibus Ciceronianae consuetudinis maxime ratione habita evolvamus seriem participiorum cum verbo auxiliari conjunctorum: quorum in unum coitionem consuetudo aut fert, aut parum probat.

**Abhorrens.** Est praeterea non abhorrens a nostris studiis Cic. ad Fam. XIII. 12; si quis a studio isto non abhorrens fuit, pro Flacc. 4. 9; nec ab usu sint abhorrentia Part. orat. 15. 53.

**Abstinens.** Esse abstinentem, continere omnes cupiditates, ad Q. Fr. 1. 1. 11; laudat Africanum Panaetius, quod fuerit abstinentis, de Off. II. 22. 75: verbum ipsum nisi casu addito non dicitur.

**Abundans.** Via erat copiosa omniumque rerum abundans Prob. Eum. 8 \*); genus quod est generatim rebus abundans Lucr. II. 1089, cui parem Manili locum affert Lachmannus; quam

\*) Aemilium Probum, non Cornelium Nepotem viginti tres primas vitas conscripsisse post Heerwageni curas in Leutschii Philologo 1861 p. 186 tandem aliquando credamus.

dives (sim) pecoris, quam lactis abundans Virg. Ecl. II. 20; non erat abundans Cic. Brut. 67. 238; quis tam abundans copiis? frustum orat, pro Cornelio II. 9, huc videtur pertinere.

**A djuvans.** Existimant plerique non haec adjuvantia (*ξυραῖτια*) causarum, sed has ipsas esse omnium causas (*ἀλλ' αἴτια*) Timaei fr. 14. (Plato p. 46 D.).

**Affluens.** Ditior et affluentior videtur esse amicitia Lael. 16.

**Agens.** Senectus est operosa, semper aliquid agens et moliens Cat. M. 8; Deus vester nihil agens (est), Nat. D. I. 40; alia sunt quieta, nihil agentia, stolida Topic. 15. 59.

§. 8. **Amans.** Vinosior aetas haec est et munera vitis amans Ovid. Fast. III. 766; omnino est amans sui virtus Lael. 26; patriae amantem esse, Matius ap. Cic. ad Fam. XI. 28. 2; homo peramans nostri fuit, ad Att. IV. 8. 6. Memorabilis est casus inconstantia, quae Cicero quidem vacat, qui bonum civem amantem patriam appellat ad Att. I. 19. 1. Madvigii quidem praeceptum Gramm. 289. a: omnia participia praesentis verborum transitivorum, quae quidem adjectivorum vicibus fungantur, genitivum poscere, multiplici exemplorum copia refellitur. Cautior Ferd. Schultzius Gr. 276 ea enumerat participia, quae istius legis quasi solum quoddam sint ac fundamentum: eademque prudentia usus est Zumptius. Sed res ut ad liquidum perducta sit, tantam abest, ut multo accuratiore indigeat disquisitione, quam adhibuit Scholz in Progr. Guetersloh. 1858 p. 15 et qui sunt ab eo nominati. Nam quid causae fuisse putemus, cur Cicero de Or. II. 43. 184 scriberet: horum igitur exprimere mores iustos, integros, perferentes injuriarum, mirum quiddam valet, Probus autem Epaminondae mores enarrans (cap. 7): fuisse patientem suorumque injurias ferentem civium? quid secutus Cicero Off. I. 20. 67 maluit scribere: causa et ratio efficiens magnos viros, quum alibi pluribus locis eidem participio adderet genitivum, v. §. 17. Nisi hoc video, genitivum aut ab adjectivorum similitudine eum casum tenentium esse profectum (Romani semper appetentes gloriae atque avidi laudis fuerunt, pro lege Man. 3), aut participia substantivorum naturam regimenque imitata esse, ut efficiens pro effectore, contemnens pro contemptore esset, quemadmodum apud Graecos *ἡ τεκοῦσα* matrem significat (Lobeck. ad Ajac. p. 238), eadem ut substantivi generis supplementa essent, nam amator (caligine tectus amans Ovid. Met. VI. 707), intellector, appetitor, aut nullam aut admodum infirmam habent auctoritatem. Jam quum id agatur, ut, quem ad finem eius rei liberum fuerit scriptoribus arbitrium, constituatur, id quum enucleare et huius operae non sit, nequid ego, quid rei sit, satis dispexisse mihi videar, ea ex Ciceronis maxime libris proponam exempla, quae legi illi a grammaticis scriptae sunt contraria, iis exceptis, quae infra suis locis inserta invenies. Civi amanti patriam ad Att. I. 19. 1. — amantium nos amicorum Off. II. 8. 30. — si est quaedam appetitio naturalis, ea appetens, quae — de Fin. IV. 13. 32. — cura quasi foras spectans aliosque appetens atque complectens ibid. V. 23. 67 — animal pudoris et verecundiae particeps appetensque conjunctionem hominum et societatem ibid. IV. 7. 18. — dux audax, impurus, consectetur bene de rep. meritos, de Rep. I. 44. 68. — Te praecclare res humanas contemnentem cognovi, ad Fam. V. 13. — illud quod excellentes animos et humana contemnentes facit, Off. I. 20. 67. — eraditi Graecis literis, contemnentes Latinas, de Fin. I. 1. 1. — num igitur fortem, num humana contemnentem potes te dicere? Tusc. II. 14. 33. — quod habeat quidam in se quasi complexum et continens veritatem, de Fin. III. 5. 17. — At ego seditus et bellum cupiens Sall. Orat. Lepid. 16. — alii minuti et angusti et omnia semper desperantes, de Fin. I. 18. 61. — animo magno humanasque res despiciente Off. I. 18. 61. — te natura excelsum quandam et altum et humana despicientem genuit Tusc. II. 4. 11. — causa et ratio efficiens magnos viros Off. I. 20. 67. — necessitas haec pulcherrima opera efficiens Nat. D. II. 30. 76. — coeli impetum constantissime conficientem vicissitudines anniversarias Nat. Deor. II. 38. 97. — levis est animi lucem splendo-

remque fugientis, in Pison. 24. 57. — numerus non modo non poetice junctus, verum etiam fugiens illum (audi; poetice junctum) Or. 68. 227. — custos omnium virtutum dedecus fugiens, laudem consequens Part. orat. 23. 79. — uterque pacem metuens, inimicus otio Ep. ad Brut. I. 15. — amici constantes et graves et officio consilia moderantes, de Fin. II. 25. 81. — humana omnia spernentem (prementem non verum est) esse volumus Tusc. IV. 28. 61. — est philosophi non tam gloriosi, quam vera quaerentis, de Fin. V. 24. 72. — animi nec mortem nec dolorem timentis ibid. I. 12. 40. — ita mortem non timentes ibid. II. 7. 22. — animi affectio suum cuique tribuens atque hanc societatem tuens justitia vocatur, ibid. V. 23. 65. — virorum patientium et humana vincentium Tusc. II. 18. 43. — In his si longus fui et si quo forte errore adductus diversa miscui, eam reprehensionem facile subibo, dummodo alias copia parata sit, unde ad veritatem aditus patet.

§. 9. Animans. Ut sidera animantia esse et sentire dicantur Nat. D. II. 15. 39; — Deos animantes esse et rationis compotes ibid. II. 31. 78. Verbum animandi transitivum est.

Appetens. Jugurtha manu promptus erat et appetens gloriae militaris Sall. Jug. 2. — nihil est appetentius similium sui Cic. Lael. 14. — Maniliiana orat. locum (3.7) supra commemoravi.

Audiens. Dicto audientem esse alieni in militari imperio tritissimum: unum satis erit attulisse: ut uni dicto audiens esset Cic. de Rep. I. 39. 61. v. Herzog. ad Caes. Gall. V. 54. p. 343. Verbum ipsum ad obedientiam significandam aliqua ex parte sufficit: te audi, tibi obtempera, ad Fam. II. 7. 2. Quocirca suspicio oriatur necesse est de Plautino loco: tibi servio atque audiens sum imperi, Trucul. I. 2. 25. E versibus huius scena turbatissimis vix quidquam praesidii peti potest, nisi forte ita constituendus est locus, ut tres versus quaternis bacchiis, quarto quoque, ut solet catalectic, constent, excipiunt autem trochaici in hunc modum:

Dinárchusne illi'st? atque is ést: it ad nos. —

Et tú fer manum contra et páriter gradere. —

Tibi servio átque audiéns sum imperi. —

Túte quid agis? — Váleo et validum téneo: peregre quum ádvenis, Coéna detur. — Nihil ego mutavi nisi in altero versu sedem vocabulorum manum fer. Sed genitivus tamen imperi me pungit.

Carens. Omnia haec meliora sunt, quam ea, quae sunt his carentia Cic. Nat. D. II. 8. 21.

Cedens. Aer cedens est et dissipabilis, ibid. III. 12. 31, quocum conferas II. 33. 83 aer videtur quasi locum dare et cedere. — Conveniet munificum esse, — cedentem (nachgiebig) — abhorrentem Off. II. 18. 63.

Circumfluens. Nec redundans nec circumfluens (erat) oratio Brut. 55. 203.

Coërcens. Animus est coercens vitai claustra Lucr. III. 397.

Cogitans. Quis est tam rudis, tam nihil cogitans, pro Marc. 7. 22, et geminum huic: tam ignarus rerum, tam nihil cogitans, Philipp. III. 2. 4.

Cognoscens. Commodum et sui cognoscentem esse, Auct. ad Her. IV. 18. 25.

Comprehendens. Alter remissus (erat) et lenis et propriis verbis comprehendens sententiam, Brut. 92. 317.

Conficiens. Quum corporis bona sint eorum conficientia, de Fin. V. 27. 81.

Confidens, quod in malam partem accipi plerumque solet, in eo qui nimium sibi confidit, velut: nequam est atque confidens, Philipp. VII. 1. 3; est confidens, impotens, gladiatorio generi mortis addictus Philipp. XI. 7. 16: sed tum etiam, quum non immodata est fiducia: quodsi confidens esset astutia i. e. si astuti homines satis sibi confiderent, pro Cluent. 65. 183.

Congruens. Eventus timori hominum congruens fuerat Liv. IV. 46; quae res erant congruentes cum descriptione naturae Cic. Acad. I. 6. 23; orationi vita (erat) admodum con-

gruens, de Rep. II. 1. 1. — Cf. ad Famil. VII. 23. 1. IX. 24. — Adjectivum quod est con-  
gruus et priscae et senescentis latinitatis fuit, quemadmodum consequus ferreae aetatis.

**Consentiens.** Jure igitur gravis, cuius de laudibus omnium esset fama consentiens Cic. Cat. M. 17. 61; tempore, quo in homine non omnia in unum consentientia, sed singulis membris suum cuique consilium fuerit Liv. II. 32. 13; codd. consentiant, unde erant qui conjicerent consentiebant vel consenserant, sed participio nihil certius.

§. 10. Quoniam de Livio emendando injecta est mentio, facere non possum, quin paup-  
lisper commorer in illius viri opera utilissima, qui nuper veterem Walchianum titulum secutus  
suo libro inscripsit, quem Danorum terra procreavit Ἑνα, ἀλλὰ λέοντα. Is si aliquando Germanorum  
philologos improbo dente lacerare desivisset, si tandem Germanorum philologia nutritum se et eruditum,  
Germanorum studia doctrinae suae adjumenta praebuisse et subsidia recte meminisset, omni ex parte  
praeclarus esse jure existimaretur. Et prefecto tametsi, ut ait Cie. fil. ad Tironem XVI. 21,  
jocus non est sejunctus a philologia, tamen maledica lingua carpere quaecumque parum accurate  
et ingeniose scripta sunt, paene sexagenarium non jam decet. Namque in tanta volumen  
copia, quantam gentis per se ad scribendum pronae ac praecepitis stilus singulis mensibus exarat,  
in tanta librorum farragine, quae omne acerrimum legendi studium exsuperat, mirum esse non  
potest, si multa exstiterunt, quae melius condidisset Libitina, quam edidisset Lucina: in quibus  
singulis reprehendendis et corrigendis si quis operam suam collocare vellet, latus sane ei pateret  
campus, in quo exspatiaretur \*). Verumtamen illam laudem ab omnibus concessam quis Ger-  
manis eripiat, ab instauratis inde sacris eorum operam ad omnem humanitatem plurimum valuisse,  
terram autem omnis philosophiae fuisse firmissimam sedem ac stabilissimum domicilium? Nec  
vero concedendum est nostris hominibus, ut par pari referentes et contentionis cupidiores quam  
honestatis de talis viri, qualis est Nicolaus Madvigius, dignitate et auctoritate detrahere  
instituant: id quod fecisse video acrem sane hominem ac pugnacem in censura Seyffertiani libri  
ap. Muetzellum 1861 p. 373, qui Madvigio exprobrat, quod innumerabilibus locis aut manca et  
imperfecta tradiderit aut plane erraverit, in quo dubites, utrum os magna sonans magis admirere,  
an fatuitatem. Etenim eum se cum aliis multis libris tum emendationibus Livianis et in  
enarrandis antiquis scriptoribus et in revocandis ad sanitatem librariorum ineptiis praebuit Mad-  
vigius, ut, si quid erravit (et sane, id quod cujusvis hominis est, erravit), venia ei sit danda  
potius et connivendum, quam detrahendum et obtrectandum. Quanto venustior illo inventus est  
Seyffertus ipse, qui in emendationibus Livianis, quas in Jahnii Annal. 1861. p. 63 proposuit,  
se gregarium militem facit triumphanti imperatori quaedam suclamantem: quo quid potest esse  
modestius, quid humanius, quid, ut ita dicam, Germanius? Nec dubitandum est quin futurum  
sit, ut Madvigius lectis iis, quae Seyffertus monuit, plus eum vidisse aliquoties fateatur. Habet  
nimurum illa ars conjecturalis viam lubricam quandam et qua ingredi sine casu aliquo aut pro-  
lapsione vix quisquam possit. Tamen si, quid illo libro Madvigius effecerit, recte perpenderis,  
cum summo scriptoris fructu in emendando Livio elaborasse eum facile judicabis. Demonstravit ille,  
quibus codicibus et quibus in rebus credendum sit, docuit in terminationibus vocabulorum fidem  
esse perexiguam summamque cautionem esse adhibendam, disturbavit superstitionem istam, quae,

\*) Unum non afferrem inscitiae documentum, nisi etiam laudatum et commendatum legisset: quod Ad. Kochius,  
qui alioquin non raro rem acutetigisse censendus est, commisit, ut in Progr. Acad. Equestr. Brandenb. 1860. p. 3.  
Livio XXIII. 24. 13. obtruderet: cladem Nolae demerit. Talia si legerit invita Minerva scripta, nonne jure fulmina  
missurus est ille Juppiter Hauniensis? At obduruit ad tales negligentiam Polygraphus ille Heidelbergensis (Annal.  
Heidelb. 1861. pag 286.), occalluit Censor ap. Zarnckium (Centralbl. 1861. 40. p. 649.), qui etiam laudibus pudendum  
illud cum aliis extulit.

ut exemplo utar, monstra illa atque prodigia Nipperdejani Taciti discipulorum, si dis placet, usibus prospicientis peperit, et quae in Livio edendo Alscheskii maxime judicium obscuravit. In corrigendis vero iis, quae librarii alucinati erant, tanto ingenii acumine tantaque solertia versatus est homo ad omnem *εὐοτοξίαν* natus atque factus, ut palmaria non pauca, praeclara permulta, inutilia paucissima, ineptum nihil protulerit et saepissime una duabusve literis additis detractis, mutatis transpositis ita Livii manum repraesentaverit, ut, id quod certissimum est veritatis indicium, ipsum te rem non vidisse admirere — et stomachere.

§. 11. Atque quem errorem ego coarguere cogitabam, eum ipse Madvigius confessus VIII. 30. 11 in editione veterem lectionem conservavit, qua nihil potest esse sanius: comparavit in praef. p. XII. septimi libri locum; alter est illi geminus et germanus VI. 14. 4, ubi M. Manlius ille Capitolinus plebis miseriis et feneratorum immanitate inflammatus tum vero ego, inquit, nequidquam hac dextra Capitolium arcemque servaverim, si civem in servitatem ac vincula duci videam. Solet enim illud tum aut gravem asseverationem, aut execrationem etiam inducere ita ratam futuram, si quis aut fecerit quid aut facere neglexerit, neque interest, antecedat enunciatum illud an postponatur. Liv. I. 24. 8: si prior defexit, tum tu, Juppiter, populum Romanum ferito\*). Recte contulit Weissenbornius Plautinum locum: me juvat Silii versus addere, qui condicione in eam formam translata, quae est cum indignatione interrogantis, Punic. XVII. 463: egone aspera ponam unquam in Romanos odia? tum abigat me frater Averno, id est: abigat me, si posuero.

Sed tam manifesto errantis Madvigii deprehensio est rarissima: frequentior erit mentio (id quod res fert) dubitantis ac sibi displicentis: quo in genere si quid rectius nos vidisse nobis videbimus, praeter ea, quae Seyffertus praeripuit, iam communicabimus. Ac primum quidem nondum sanatus est locus II. 41. 4: consul alter largitioni resistebat auctoribus patribus nec omni plebe adversante; quae primo cooperat fastidire, munus vulgatum a civibus esse in socios. Etenim Sp. Cassius Viscellinus consul quum lege agraria socios Latini nominis agri ex hostibus capti participes facere vellet, non modo patricii de suis rebus erant solliciti, sed plebis etiam pars moleste ferebat, eius rei, quae proprie civium Romanorum esset, sociis parem fore potestatem. Quid Livius voluerit, extra omnem controversiam opinor positum esse, nec minus, verba recta esse et proba excepto uno illo isse, quod varie interpretum sagacitatem fatigavit. Weissenbornius quidem, quod plane perspicuum esse Ingerslevius vidit in Lex. v. fastidire, id quae sissem mihi videtur ac desiderasse: quaerit objectum verbi fastidire: hoc ipsum expleri accusativo cum infinitivo juncto quis est quin intelligat? Quod quum ita sit, ferri profecto posset vulgatum esse\*\*), nisi ex codicibus satis intelligetur corrigentium illud esse potius Livii verba, quam redditum: posset etiam aliquo modo ferri, si quis vulgatum esse iis exemplis adnumeraret, quae supinum cum eundi verbo copulatum praestant: quae ratio etsi a Cicerone et Caesare constanter repudiata est, Livii tamen usus non

\*) Quod Madv. edidit: tum ille dies, Juppiter, pop. R. ferito, ferri nulla ex parte potest, primum, quod in Jovis perspicua invocatione fetialis non precatur ut dies feriat populum, verum ut deus, tum quod ferito secundae, non tertiae esse personae iis quae sequuntur consentaneum est: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque. Certe scribendum erat illo die, quod recepit Weissenb. Ceterum ego vereor, ne illa impedimenta ille dies aliunde ex alieno loco irrepserint et antiquam veramque lectionem submoverint, cuius aliqua vestigia in Mediceo supersunt expunctis tribus literis iup. Tertiae personae exemplum est XXII. 53. 11: si sciens fallo, tum me Juppiter optimus maximus pessimo leto afficiat.

\*\*) Eadem est lectionis diversitas ap. Cic. ad Fam. IV. 9 si fuit magni animi, non isse supplicem victori, ubi esse, quod in plerisque codd. legitur, sententia ipsa redarguitur: oportebat enim fuisse, quod forsitan verum sit, aut quod alios voluisse video, supinum supplicatum. Apud Sall. Or. Licin. Macri 17 neque ego vos ultum injurias hortor, non dubito quin ire infinitivus subsequentium literarum (injur.) similitudine haustus sit.

est infrequens: XXVI. 27 ne se ad ultimum perditum irent; XXVIII. 41 simul cum bello materiam gloriae tuae esse erexit videri posset, et paulo infra: aliena ire oppugnatum; XXXII. 22 ne gentem universam perditum iret; XXXIX. 10 vitam tuam perditum ire properat: in quibus omnibus non tam itionis, quam consilii fit significatio. Sed tamen obstat primum verborum collocatio, quae vulgatum esse comprehendendi vetat, deinde res est in difficultate propterea quod haud facile is auditur, qui vulgasse illud munus dicatur. Huc accedit, ut illud mibi usque adhuc praetermissum videatur, quod negligi nullo modo potest, quod manebit, si Madvigium secutus post participium interpusxeris: neque enim latine dicitur munus ire a civibus in socios, sed velut transire, transmitti, traduci (homines ex summa egestate in abundantiam traducti Cic. in Rull. II. 35). Ecce medicinam afferit certissimam liber optimus Mediceus, quem non raro solum aut verum aut veri vestigia proxima servasse Madv. p. 26 ostendit, idem hoc loco contra quam solet plane abjecit. Is codex non esse habet, sed egisse, quod qua ratione ex illo esse ortum esse dicat Madv. p. 61, ipse viderit. Quo usus olim magnus vir Niebuhrius egenis emendavit: in quo operam perdidit, quoniam non egentes opulentis, sed sociis cives opponuntur. Me quidem quum res ipsa hoc sentire atque intelligere coagit, tum Medicei auctoritas adduxit, ut una litera mutata legerem munus vulgatum a civibus exisse in socios. Cuius verbi propria est positio, si quid vel extra certos fines terminosque legibus, moribus, institutis, edictis constitutos egredi prohibetur. Sic Nilus incrementis captis ripas superans exire dicitur a Lucano Phars. X. 216. 231, et Cicero in Pison. 21. 50 Gabinium castigat, quod exierit de provincia i. e. quod injussu populi ultra fines provinciae sua transierit (Verr. frument. 95). Idem de rebus abalienatis commemorans exisse eas ex suo tanquam limine et ad hostes pervenisse dicit Topic. 8. 37. Atque de ira et ceteris animi perturbationibus disputans Tusc. III. 5. 11 et IV. 36. 77 iratos, inquit, proprio dicimus exisse de potestate id est de consilio: quod si factum est, exeunt in iracundiam, quemadmodum Lucanus Phars. III. 112 libertatem (viros significat liberae reip. amantes) exire in iram dicit. Nec aliter idem V. 410: turpe duci visum est rapiendi tempora belli in segnes exisse moras i. e. virtutem et celeritatem degenerasse in socordiam ac segnitiam. Apud Livium (lexici Liviani operam vix inchoatam esse magnopere dolendum est) etsi exire nondum in hunc modum adhibitum inveni, tamen fere idem est excedere VIII. 33. 19: quo ultra iram violentiamque ejus excessuram fuisse. Accedit hoc quoque, quod cum vulgi et evulgandi vocabulis non semel exire consociatur: Cic. Rosc. Am. 1. 3 nequaquam oratio mea exire (cf. pro Planc. 14. 35) et in vulgus emanare poterit; Suet. Galb. 20 exiit in vulgus (es ist unter die Leute gekommen), quod idem Probus Datam. 6. 3 dicit: exiit in turbam; res prodita est et in vulgus exiit Gell. XII. 12. 3. Quid quod exire ipsum sic usurpat: Cic. ad Fam. XV. 21 illas literas misi non existimans exituras, et Caecinam Ciceroni ita scribentem deprehendimus ad Fam. VI. 7: filius pertimuit, si liber (libellum dicit, quo Caesarem offenderat) exisset, eademque epistola extrema: peto a te, inquit, ne liber exeat.

§. 13. Sequitur alter locus, quo parum se sibi placuisse Madvigi ipse confitetur I. 46. 7: illa tamen propria fuit ejus laus et peculiaris, quod et peccatum esse et ubi sedes esset mendi, luculenter demonstravit. Etenim Tullia mulier scelestissima vetitis nuptiis domum suam vacuefactura ita est de sui viri ignavia vociferans: se rectius viduam et illum (majorem Tarquinium) caelibem futurum fuisse, quam cum impari jungi, ut elanguescendum aliena ignavia esset. In quo illud jungi ferri non posse sensit rectissime, scribendum enim fuisse junctos esse. Quamobrem ita emendavit: quam cum impari. Nunc — esse, recipique in editionem suam. Sed quum res eam difficultatem habeat, quod junctionis notione utique carere non possumus, ipse addit, pro nunc si quid repertum esset melius, se accepturum. Ego cum considero Livium XL. 4 Archo, Thessalam mulierem, sic dicentem facere: se sua

manu potius omnes interfectoram, quam in potestatem Philippi venirent, XXXII. 21. 13 autem Aristaenum ita querentem inducere: cur ille nostrum auxilium absens petit potius, quam praesens nos simul ab Nabide ac Romanis tueatur, vix dubito, quin Livii manus sic recte restituatur: quam cum impari junctis elangescendum aliena ignavia esset. Accedit Enianum illud apud Cic. de Or. II. 54. 222: flammam a sapienti facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat. Initum autem peccandi ortum est ab eo, qui, ut paribus videlicet paria redderentur, infinitum quaerens, qui alteri futurum fuisse opponeretur, finxit jungi: iam quum illud elangescendum esset non haberet, ex quo aptum penderet, consecutivum quod vocant enunciatum esse ratus particulam infersit, de qua ipsa Madvigius summo jure suspicionem movit. Prorsus idem spectavit is, qui XXXIII. 40. i verbi quod est defendere usum ignorans eandem illam voculam inseruit, quem errorem Madv. p. 384 sustulit ac sepelivit. Quod autem in archetypo non elangescendum esset sed el. esse fuit, ejus corruptionis idem quod supra demonstravi, membrorum aequandorum studium fuisse videtur principium.

§. 14. In silvis, quae librariorum manu satae cum magno scriptorum incommodo excraverunt, mirum est quam varii populi delituerint: ego abhinc triennium in Muetzellii Annalibus Adrianum Valesium forti ac felici manu ex Galliae silvis Liv. V. 34. 8 Salyas protraxisse fusius demonstravi, id quod usque ad Madvigi editionem plane neglectum erat: ipse felicissime XXXVII. 56 ex Asiae silvis Milyas proturbavit. Sed qui populus in Lucani silvis Phars. Vlll. 343 se occultaverit, nemo quod sciam potuit assequi. Ibi Lentulus Pompeji inertiam increpans stimulos ignaviae addit in hunc modum: te, quem Romana (i. e. res Romanas) regentem horruit auditu, quem captos ducere reges vidi ab Hyrcanis Indoque a litore silvis, dejectum fatis, humilem fractumque videbit, se simul et Romam Pompejo supplice mensus. In his quoque silvis populum aliquem latere necesse est eumque Hyrcaniae et Indiae vicinum, eundem humilem et ignobilem, quo acerbius castigetur Pompeji desperatio committentis, ut propter animum fractum et abjectum omni dignitate amissa ludibrio habeatur. Hoc quoque apparet, singularis rectum casum desiderari, ad quem se applicet horruit et vidi et quod sequitur videbit et participium mensus. Rimanti igitur, numquis populus ejusmodi Asiae nomine a silvis istis non nimis abhorrens reperiatur, occurunt Silvi sive Sylvi a Plinio Hist. Nat. VI. 10 in gentibus ad Caspium mare habitantibus nominati. Sed tamen ignotissimi et obscurissimi populi, cuius praeterea nulla fiat mentio, nomen reponere dubito, quamvis Lucanum reconditae et abstrusae doctrinae ostentatorem fuisse intelligam. Quid Gentheus sit allaturus, mirifice exspecto.

§. 15. Tacite correcit Madvigius in editione locum Vlll. 5. 8, quem in Emendationibus intactum reliquerat: recte illud quidem et vere. Nam T. Manlius Annii Latinorum legati postulationes indignatus Jovem his verbis contestatur: Peregrinos consules et peregrinum senatum in tuo augurato templo captus atque ipse oppressus visurus es? Confidit Manlius Jovem ipsum intolerabilem Latini hominis superbiam domitum, quum nec cives Romanos proteri et conculcari, nec ipsum se capi et opprimi sit passurus. Itaque necessario legendum: captus ipse atque oppressus. Eodem artificio luxata Liviana orationis membra Madvigius saepius in sedem suam compulit, v. pag. 593.

§. 16. Consulto praetereo ea, in quibus Madvigius eum se praebuit, ut magis emendatur, quam emendare videatur. Unum ego ultro adiicio. Quoties vel singulorum vocabulorum defectu vel totorum enunciatorum detimento Livianum opus foedatum sit, quicunque in interpretando eo mediocriter erit versatus, non ignorabit: nec minus, illius jacturae similitudinem affinium verborum causam esse solere. Ejusmodi locum mihi videor deprehendisse XXII. 31. 10, qui locus est de Q. Fabii dictatura: Servilii consulis anni 217 jus fuisse dictatoris dicendi: qui quum procul abfuisset, eamque moram quia exspectare territa jam clade civitas non potuisset, a populo dictum esse. Illud jam non habet, quo apte referatur: si tribus jam cladi-

bus eo tempore affectos fuisse Romanos computaverimus, ad Ticinum, ad Trebiam, ad lacum Trasumenum, apparebit post territa excidisse tertia.

§. 17. Sed eo revertatur oratio, unde praestantissimi viri commemoratione nos avocavit.

**Consequens.** Verbi hoc tenet casum, ubi ad sequendi notionem accommodatur: custos vero virtutum omnium, laudem maxime consequens, verecundia est Cic. part. orat. 23. 79; absolute ponitur ad tempus relatum: consequens est et post oritur, de Fin. III. 6. 22; posterum et consequens, ibid. III. 9. 32; sed, ubi longe tritissimum est, in conclusione facienda, logicae disciplinae consueta formula, dativum adsciscit, quod monuisse eo magis operae pretium est, quia in nostris libris ad erudiendos adolescentes conscriptis ea res silentio praetermittitur: hoc probato consequens esse beatam vitam esse contentam, et quomodo hoc sit consequens illi, sic illud huic Tusc. V. 7. 18; alterum alteri consequens esse ib. V. 8. 21, quid consentaneum cuique sit, quid consequens Off. II. 5. 18. Singularis est genitivus Tusc. V. 17. 50: contrariorum contraria sunt consequentia i. e. ex contrariis contraria recte concluduntur, ubi consequentia pro substantivo esse apparet, quemadmodum consequens aliquid, de quo §. 4 monui. Verbum ipsum multo rarius est: non videt, quae quamque rem res consequatur, de Fat. 5. 9; fit etiam quod consequitur necessarium, ibid. 7. 14, ubi codicum auctoritas iniuria spreta est ab Ernestio ejusque asseclis.

**Conservans.** Ad suum statum eaque, quae conservantia sunt ejus status, diligenda, de Fin. III. 5. 16, id est, quae pertinent ad conservandum statum.

**Constans.** Ut nihil unum esset constans: ne idem quidem, quia continenter laberentur et fluenter omnia Acad. I. 8. 31: haec ego sana esse censeo, nisi, quod veri similius videtur et corrumpi facilissime potuit, ab initio scriptum fuit: unum esset et constans. Causae quae non sunt constantes Topic. 17. 63.

**Continens.** Quae sint continentia cum ipso negotio, hoc est quae ab re separari non possint, in qua epexgesi perperam legitur possunt, Invent. II. 12. 39; partem quae cum Cilicia continens est (proxima, vicina) ad Famil. XV. 2; fundus fundo est continens, pro Caecin. 5. 15; natura ut juncta sit et continens, de Divin. II. 14; quae sunt continentia (affixa sunt, cohaerent) Invent. I. 26. 37. — Is, qui se suasque cupiditates continet, dicitur continens esse ad Famil. IX. 19, de Fin. I. 11. 37.

**Conveniens.** Quid philosopho minus conveniens (est)? Nat. D. III. 17; nihil est tam aptum, tam conveniens Lael. 5; haec res avaris esse conveniens potest Phaedr. fab. I. 27. Amplexi sunt hoc Livius: haec paucitas conveniens est exulis fortunae XXIX. 33. (cf. VIII. 33, XXX. 16, XXXIV. 26 et 48, XXXVII. 53, XL. 34, XLV. 11.) et Ovidius: conveniens Venus est annis Met. IX. 552. (cf. Trist. I. 1. 6. Epist. III. 2. 110, III. 3. 99, III. 9. 36, IV. 9. 103).

**Crescens.** Carmen erat crescens (inchoatum, nondum adultum) et rude Ov. Trist. I. 7. 22.

**Cupiens.** Ut est vulgus cupiens voluptatum Tac. Ann. XIV. 4; quod is bonarum artium cupiens erat, ibid. VI. 46; verum ego seditus sum et bellum cupiens Sall. Or. Lepid. 16. In his studiis et cupiditatis fit significatio: comici poetae in re amatoria ponunt: complexus, cuius cupiens maxime est Plaut. Amph. prol. 132; itane ille est cupiens? Poenul. III. 3. 47; quae hujus cupiens corporis Mil. glor. IV. 2. 7.

**Currens.** Expedita erat et perfacile currens oratio Cic. Brut. 63. 227.

**Delectans.** Lenitatis suavitate voluptas est delectans, de Leg. I. 11. 31.

**Despiciens.** Nemo tam arrogans, nemo tam sui despiciens fuit, de Or. II. 89. 364.

**Differens** i. e. diversus: ratio certe est communis, doctrina differens, discendi facultate par, de Leg. I. 10. 30; submissus est, ab indisertis differens Orat. 23. 76.

**Diligens.** Epaminondas adeo diligens (erat) veritatis, ut ne joco quidem mentiretur Prob. Epam. 3.; quam diligentes veritatis vos oportet esse Cic. pro Corn. fr. II. 15.

**Discrepans.** Quid divorsius esse putandum est aut magis inter se disjunctum discrepansque Lucr. III. 804; ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit Cic. de Or. III. 11. 40.

**Dissidens.** Opiniones quum sint tam variae tamque inter se dissidentes Nat. D. I. 2.

**Distans.** Quid tam distans (est), quam a severitate comitas? Or. 10. 34.

**Efficiens.** Ut altera res esset efficiens (*ἡ ἐνεργητική*), altera se praebens (*ἡ παθητική*) Acad. I. 6. 24; quod ea efficiens utilitatis esset Off. III. 3. 12; ea quae sunt efficientia voluptatum Fin. II. 7. 21; quod efficiens esset voluptatis Off. III. 33. 116; quae causae sunt efficientes pulcherrimarum rerum atque optimarum, Timaei fr. 14. (Plato p. 46. E: *δημιουργοὶ καλῶν καὶ ἀγαθῶν*).

**Egens.** Sic erat instabilis tellus lucisque egens aer Ovid. Met. I. 17.

**§. 18. Excellens.** Quarum virtutum excellens est praestantia Cic. Fin. V. 13. 36, cf. Brut. 66. 235., 95. 327, 97. 332 et saepius. Quod in libro de Or. I, 50. 217 legitur: nam si quisque, ut in aliqua arte et facultate excellens, aliam quoque artem sibi assumpserit, ita perficiet, ut —, hunc locum turbatum esse primum illud arguit, quod non est latinum si quisque, ut — ita, quod dicitur si, ut quisque — ita, deinde quod ita profectum est ab Ernestii conjectura, codd. constantissime habent is: quodsi huic demonstrativo praecedere oportere relativum consideraveris, facilis erit curatio. Legendum: nam si, quicunque (quisquis?) in aliqua arte — assumpserit, is perficiet, ut —.

**Experiens.** Uxor est timida experiensque parum Ov. Epist. III. 7. 12. A Cicerone experientes homines vocantur gnavi et industrii, qui nihil inexpertum relinquunt ad quaestum et commodum suum, maxime aratores Verr. frum. 11. 28, 21. 53, de sign. 17. 37, Cluent. 8. 23.

**Exprimens.** Gestus erat non verba exprimens sed cum sententiis congruens, omnis motus consentiens, vox permanens, verum subrauca natura Brut. 38. 141.

**Ferens.** Fuisse patientem suorumque injurias ferentem civium Prob. Epam. 7.

**Fervens.** Animus fortis in homine non perfecto ferventior plerumque est (nimis fervet) Off. I. 15. 46.

**Fidens.** Qui fortis est, idem est fidens Tusc. III. 7. 14.

**Florens.** Reditus ita florens fuit, Sest. 60. 128. (paulo post in eandem sententiam: accessus meus gratulatione hominum florebat 63. 131.); sint incolumes, sint florentes, sint beati Mil. 34. 93; incolumis et florens esse posset Phil. XIV. 8. 23; modus nullus est florentior, de Or. III. 41. 166. cf. de Rep. I. 47.

**Fluens.** Ne aut dissoluta aut fluens sit oratio i. e. diffusat, Or. 58. 198; dissipata et fluens est oratio Or. 65. 220.

**Fugiens.** Natura hominum solitudinis fugiens et societatis appetens esset de Rep. I. 25; fugitatem esse litium i. e. invitum in litibus versari Ter. Phorm. IV. 3. 18.

**Habens.** Peregrinus est, minus amicorum hic habens Ter. Eun. IV. 6. 21.

**Ignoscens.** Quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoscentior (facilius ignoscis) Ter. Heaut. IV. 1. 32.

**Imitans.** Submissus est, consuetudinem imitans Cic. Or. 23. 76.

**Incipiens.** Barba erat incipiens, barbae color aureus Ov. Met. XII. 395.

**Indigens.** Suarum opum nos volunt esse indigentes Plaut. Cist. I. 1. 31.

**Inhaerens.** Loci qui proprii et inhaerentes esse debent Cic. de Or. III. 27. 106.

**Intelligens.** Intelligentem esse et sapientem Nat. D. II. 13; intelligentes esse Deos et providentes ibid. II. 30.; (nihil non intelligens intelligente praestantius esse οὐδὲν ἀνόητον τοῦ νοῦ ἔχοντος κάλλιον ἔστεοθαι Cic. Platonis locum vertens Tim. fr. 3.); maxime de docto existimatore: ut putetur in hisce rebus intelligens esse Verr. de sign. 15. 33.

2\*

**Juvans.** Quae juvans, monstrat, quaeque sit herba nocens Ov. Trist. II. 1. 270.

**Languens.** Vox nec languens erat, nec canora Cic. Off. I. 37. 133.

**Latens.** In nostris membris latens animi vis est Lucr. III. 278.

**Maledicens.** Ut nunc sunt maledicentes homines (maledicos maturior aetas appellavit) Plaut. Merc. II. 3. 75.

**Metuens.** Est aliis metuens, ne crimen poena sequatur Juven. Sat. XIII. 90; quo non metuentius numinis ullum ingenium erat Ov. Fast. VI. 259; quidquid invalidum metuensque pericli est Virg. Aen. V. 716. Quo memorabilior est Ciceronis (ad Fam. VI. 14.) quem supra commemoravi locus, quippe qui transitivi verbi casum tenuerit.

**Movens.** Omnia autem talia sensum movent, sensusque moventia quae sunt, eadem in opinione consistunt Cic Timaei fr. 2. In Platonis verbis nulla erat variandae orationis causa: *πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα αἰσθητά, τὰ δὲ αἰσθητὰ κτλ.*

**Negligens.** Post illa med obtegere negligens fui (neglexi) Pl. Most. I. 2. 60. Pro adjectivo est saepissime.

**Nitens.** Non valde nitens erat oratio (nitezbat) Cic. Brut. 67. 238.

**Nocens.** Homines moribus corruptis iudiciisque obnoxii nocentes saepenumero vocantur: quamvis sit nocens Verr. I. 1; reus est nocentissimus Verr. praet. urb. 2. 6.

**Obediens.** Nulli est naturae obediens aut subjectus Deus, Nat. D. II. 30. 77; omnia secunda et obedientia sunt Sall. Jug. 14; profecto jussis vestris obediens erit, ibid. 31; futura es dicto obediens, an non, patri? (eodem modo quo audiens dictum) Plaut. Pers. III. I. 50. cf. Mil. glor. III. I. 211. IV. 3. 36.

§. 19. **Obsequens,** scenicis poetis frequentatum atque adeo gemellum ei, quod antecessit, ut cum eo confunderetur: nam Plaut. Curc. II. 2. 8: facit hic, quod pauci, ut sit magistro obsequens, reclamante ipso versu utique legendum est: ut sit magistro obediens; atque coaluerunt gemini illi: obsequens obediensque est mori atque imperii patris Bacch. III. 3. 55. Plura si voles, evolve Most. I. 3. 47; Merc. I. 2. 39 et 46, Mil. III. I. 211; IV. 3. 36; Terent. Heaut. I. 4. 100; II. 3. 18; Hecyr. II. 2. 5. Quamobrem habent necessario quod displiceat duo Plautini loci, quorum unus a Ritschelio est compositus, etsi admodum dubia est emendatio, Pers. II. I. 12: ut herae obsequens fiam: hoc constare videtur, non fiam, sed fuam recipiendum esse: alterum nemo quod sciām tetigit Curc. I. 1. 87.: sequere hāc, Palinure, me ad foris, fi mi obsequens, quod ne Fleckeisenum quidem commovit: ego num recte legatur dubito, cum praesertim herus servum non hortari soleat, ut fiat dicto audiens, sed ut sit: quamobrem vide ne verius scribatur sis mi obsequens. Recte autem paulo post adolescens multibae anus fores mero placaturus: potate, inquit, fite mihi volentes propitiae.

**Observans.** Quem spero fore tui observantem Cic. ad Fam. XIV. 4. 6.

**Olens.** Hoc est bene olens (suave olet) Acad. II. 7. 21.

**Patens.** Est autem hic locus late patens Or. 48. extr.; latissime patens inter homines haec societas est Off. I. 16. 51; quibus omnia deberent esse patentia ac libera, de Leg. II. 10. 26.

**Patiens.** Cum verbo auxiliari Cicero non conjungit, nec addit genitivum, sed ad hunc modum: patiens in adeundo periculo et in labore ac dolore Tusc. V. 14. 41; nec usus est eo Caesar: ceteris, maxime poetis, usitatum fuit: patientem incommodorum esse futurum Auct. ad Herenn. II. 31. 50; ubi prima aetas patiens fuit militiae Sall. Jug. 63; simulac belli patiens erat id. Catil. 7; si veri patiens fuisse Curt. X. 4. 2; nec tamen navium patiens est fluvius Liv. XXI. 31; patiens erat ille laboris Ov. Met. V. 611, et saepe: verbum ipsum habet idem: nec coelum patimur i. e. impatiens sumus coeli, Trist. III. 3. 7.

**Pendens.** Omnia sunt homini tenui pendentia filo Ovid. Epist. IV. 3. 35; altera est nexa cum superiore et inde apte pendens Cic. Hortens. fragm. 37.

**Perseverans.** In iracundia perseverans erat Philipp. XI. 1. (non idem quod perseverabat).

**Pertinens.** Capitalis oratio erat et ad aequationem bonorum pertinens Offic. II. 21. 73; illa longa oratio nec ad vos pertinens sit Liv. XXVIII. 44. 17; sunt illae paene totae ad deliberativum pertinentes genus Quint. Inst. II. 4. 25.

**Placens.** Quod non expetendum sit, quod non placens Cic. Fin. III. 8. 27.

**Pollens.** Qua pollens ope sum Ovid. Fast. I. 2. 69; sunt igitur solida pollutia simplicitate Lucr. I. 575.; abunde pollens potensque et clarus est Sall. Jug. 1.

**Praestans.** Absolute ponitur nullo adjecto casu et praestans fuit et praestitit (de Or. III. 33. 135 et 137.): addito casu (alicui, inter aliquos) verbum ipsum longe est usitatissimum. Oratores, qui tum erant praestantes (qui tum ceteris praestabant) Brut. 35. 134; quibus virtutibus esse praestantem Numam fama ferret, de Rep. II. 13. 25.

**Providens.** Homo est valde acutus et multum providens, ad Fam. VI. 6.

**Pudens.** Te videri pudentiorem fuisse, quam soles, in Pison. 17. 39.

**Pugnans.** In libris de arte dialectica pugnantia sunt non consequentia et contraria: quae sunt pugnantia inter se Part. orat. 2. 7; omnia philosopho digna (sunt), sed cum voluptate pugnantia Tusc. III. 20. 49; quae sunt falsa et inter se repugnantia Nat. D. I. 12, quid enim tam repugnans (est), de Fin. IV. 28. 78.

**Redolens.** Orationes sunt exiliores et redolentes magis antiquitatem Brut. 21. 82.

**Redundans.** Esse pituitos et quasi redundantes, de Fat. 4.

**Resistens.** Sic mollis ac minime resistens mens eorum est Caes. Gall. III. 19.

**Retinens.** Senecio e propinqua familiaritate Neronis, speciem amicitiae etiamtum retinens (erat) Tac. Ann. XV. 50.

**Revocans.** Sunt fortes, feroce, ad suam vim omnia consilia revocantes Cic. Phil. XII. 29.

§. 20. **Ridens.** Erat candidus, ridens oculis Calpurn. Ecl. VI. 15. Apud Horat. Carm. II. 6. 14 ille terrarum mihi praeter omnes angulus ridet, ubi — Axtius (Progr. Wetzlar. 1840) scribendum esse consebat ridens, ut audiretur verbum substantivum. Sed jure non est ab editoribus receptum propterea quod syllabae natura brevis productio et arsi et caesura satis excusat. Apud Lucr. II. 27 ego Lachmanni conjectura nos carere posse judico: etenim natu-ram paucis esse contentam disserens nec magnificis egere dapibus poeta sic tradit: Si non au-rea sunt juvenum simulacula per aedes, lampadas igniferas manibus retinentia dextris, nec domus argento fulgens auroque renidens (sic Macrob. et Marullus), nec citharae reboant. Hoc Lucretiana elegantia indignum esse Lachmannus putans, quum ne fulget quidem et renidet ferre posse sibi videretur, conjectit fulgenti auroque renidet. Sed, quod desideratur, est, facile repetitur ex antecedenti plurali sunt, nec tam acerba et dura videtur ad verbum finitum (reboant) transitio, qualem etiam Ovidius poeta elegantissimus habet: omnia sunt ho-minum tenui pendentia filo, et subito casu, quae valvere, ruunt, Epist. IV. 3. 35. Ceterum cum Horatiano loco haec nullo modo comparari posse perspicuum est.

**Sciens.** In comicorum poetarum fabulis non insueta est formula ut sis sciens Plaut. Poen. V. 2. 78. Ter. Andr. III. 2. 28; IV. 4. 36: Sallustius pro perito dicit: nullo impedimento, quia locorum scientes erant Jug. 97; cf. Tac. Ann. III. 70; VI. 26. Tu scientior eris Auct. ad Her. II. 31. 50. Quod contra ponitur, non est nesciens, sed nescius, ne forte sis nescius Cic. ad Att. XV. 11.

**Sequens.** Id omne et quae sequentia essent Cic. Tim. fr. 13. (*δσα ἀκόλουθα ἔχείνοις* Plat. p. 42. E). Memorabile est, sed Taciteae breviloquentiae condonandum Ann. XIII. 50: sublati portoriis sequens, ut tributorum abolitio expostularetur, ubi auditur esse infinitivus.

**Solens.** Proterva ancilla convicianti adolescentulo et malam feminam appellanti respondet: solens sum, ea est disciplina, Plaut. Truc. I. 2. 29, quod alii locis dicere consuevit sic soleo: et profecto aliquid turbatum esse versus ipse arguit metri imperium detrectans.

Sonans. Ut verba sonantiora sint (pleniū sonent) Cic. Part. or. 5. 17.

Timens. Nullam timentia fraudem plenaque pacis cuncta erant Ov. Met. XV. 102.

Utens. Alia sunt rationis expertia, alia ratione utentia Off. ll. 3. 11; erat temporibus sapienter utens Prob. Epam. 3; utentior sane sit, honestior vero quomodo? Off. II. 20. 71.

Valens. Propediem te valentem fore medicus confirmat, ad Fam. XVI. 9, quod necessitate coactus videtur scripsisse, quando quidem convalescendi verbo supinum deest. Ceterum valens pro valido et sano Ciceroni non est inusitatum: pro Cluent. 9. 27; pro Cael. 28. 66; ad Fam. XVI. 5; Off. ll. 4. 15. Civitas fuit firma et valens, de harusp. resp. 28; quid potest esse valentius (plus valere) Nat. D. ll. 11; postulatio est valentior, ad Att. VII. 6.

Vibrans. Erat oratio incitata et vibrans (verbum vibrandi non suppetit) Brut. 95. 326.

Vitans. Neque tamen non te cautum esse volo et insidias vitantem Brut. ap. Cic. ad Fam. XI. 20.

Volens. Haec atque talia plebi volentia fuere (i. e. grata) Tac. Ann. XV. 36: sed praeter neutrum pluralis numeri hac significatione nihil exstat, v. Orellium. Benevolentiae notio inest in Plautino loco fite mihi volentes propitiae Curc. I. 1. 89; sed pro eo, quod est velle, volentem esse nunquam dictum videtur.

§. 21. Venimus nunc ad ea auxiliaria, quae actioni vel conditioni, in quam est adductus aliquis, addunt constantiae, firmitatis, perpetuitatis notionem. Ea sunt habere et tenere. Ac primum quidem hoc constat, illud, quod priore loco posui, verbum profani atque indocti vulgi ore multo tritus fuisse et quotidiana consuetudine celebrius, quam in literarum sanctiore recessu. Nam unde novicias linguas eorum populorum, quibus a Romano victore leges et jura praescribebantur, maxime Gallorum, illam periphrasin inventam tenuisse arbitremur? Quid quod ita illos cum gregali sagulo bellatores, orbis terrarum domitores, armis strenuos, lingua rudes atque inopes, locuti videntur: positum habemus castra\*) et: castra quae posita habemus, qualis est adhuc Gallorum consuetudo: j' ai écrit une lettre, la lettre que j' ai écrite. Sed ad eos quoque, qui ad scribendi studium se contulerunt, optimis artibus institutos homines, illud dicendi genus diffusum est ita, ut non mera esset verbi circumlocutio, sed continuitas quaedam et ad praesens tempus, ut ita dicam, proclinatio significaretur.

\*) Magnum Pompejum olim scripsisse Domitio suo: cohortes ad me missum facias (Cic. ad Att. VIII. 12.B), mihi nullo modo probari potest: nec magis illa vera esse, quae Gell. I. 7 et Plauto et antiquioribus rerum scriptoribus et oratoribus et vero etiam Ciceroni injungit, infinitivum futuri activi quasi fetum quendam immaturum adeo deformem fuisse et non tractabilem, ut per numeros et genera non moveretur: quamquam alter olim sentiebat Zumptius ad Verrin. de suppl. 65. 167, qui rem indubitatam esse opinabatur. Ego, qui Gellii industriam ac sedulitatem magnopere laudem, ingenio vehementer diffidam, aut famae mendacis aut manuscriptorum librorum mendis nimis eum credidisse censeo. Neque recte illa opportunitate usi sunt viri docti ad ea tuenda, quae ut a Sallustio scripta ita tradita habemus Jug. 100: Marius vigilias ipse circumire, non tam diffiduntur futurum quae imperavisset, quam — (fortasse fuit: facturum militem). Gellius autem quam prave auctoribus suis fidem nonnunquam habuerit, ejus rei insigne exemplum proferam. Fuit apud Catonem in quarto Originum libro lepida narratiuncula, eius duos quasi membra Gellius servavit, unum X. 24. 7.: „Itaque dictatorem Karthaginiensium (Hannibalem) magister equitum (Maharbal) monuit: mitte mecum Romanum equitatum: die quinti in Capitolio tibi coena cocta erit; alterum II. 19. 9: „deinde dictator jubet postridie magistrum equitum arcessi: mittam te si vis cum equitibus. Sero est, inquit magister equitum, jam rescire.“ Inter utramque particulam pauca tantum interisse facile intelligitur, in quibus recusasse Hannibal dictus fuit quominus mitteret. Sed in Catonis exemplo a Gellio inspecto mendum fuit apertissimum, quod Gellius non nimis acris ingenii homo praetermis locumque disputatione de verbo quod est rescire institutae alienissimum inculcavit. Quid enim, quaeso, Romanos aut rescisse aut non rescisse suspicemur? Nam ex Maharbalis responso recte hoc colligitur: si nondum rescissent, non sero esset. An illud resciverant, Hannibalem pridie petenti ipsorum vel Maharbali negasse quominus expeditionem faceret? At quid hoc vel Maharbalis referebat, utrum comperissent nece? Nisi forte Maharbalem proficiisci juberi eodem temporis punto Romani resciverant. Ne multa, scriperat Cato: jam resipivere. Sero est, inquit Maharbal: si prius me immisses, sperare potui fore ut torpentes primo terrore stupentesque recenti clade opprimerem: nunc occasione a nobis praetermissa mentis compotes facti animos receperunt.

§. 22. Quam quaestionem ita instituemus, ut prius, quid verbum habere sibi velit coniunctum cum adjetivis et adverbii, deinde, cum participiis copulatum perscrutemur. Etenim quod Fabrius ad Sall. Jug. 79. 3 praecepit, habere saepe idem esse quod efficere, ut aliquid in statu quodam permaneat nec mutetur conditio, convenit illud quidem cum parte exemplorum, sed a natura verbi habere alienum est, in quo non reperitur efficientia, verum tenacitas. Itaque mare infestum habere, quod in piratarum latrociniis saepius dicitur, proprio est: tenere infestationem (Tertulliani vocabulo melius non suppetit) maris, habere sollicitum hostem est: tenere sollicitudinem hostis: quae si diversa esse videbuntur, in infesto agendi vim, in sollicito patiendi notionem inesse cogites. Quid? carum habere amicum nonne significat tenere caritatem erga amicum? Quos mala conscientia obstupefecit, ita describit Juven. Sat. Xlll. 194: diri conscientia facti mens habet attonitos. Saevi imperatoris atram curam ita notat Tac. Ann. ll. 65: nihil aequa Tiberium anxium habebat, quam ne composita turbarentur (anxium et sollicitum habere Auct. b. Afr. 71). Qui vexant alias, rapiunt, trahunt, miseros habere dicuntur: nae illum miserum habebo Plaut. Asin. V. 2. 19. (similia leguntur Casin. I. 28. lll. 3. 27. Cist. ll. 2. 2. IV. 2. 3. Epid. V. 2. 2. Trin. ll. 1. 33. Cic. pro Flacc. 29. 71). Qui alias in terrore detinent (Auct. b. Afr. 72), sollicitos (sollicitatos nusquam legi) habere dicuntur, cuius sollicitudinis diuturnitatem praecclare Ciceronis locus demonstrat ad Famil. XI. 13: Caesar diutius velle videtur eos habere sollicitos, a quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum. Sed hoc quam sit per vulgatum, nemo ignorat: fortius est et gravius sollicitum tenere hostem Liv. ll. 64, in quo est quasi defixio quaedam atque devinctio. Si quis infestare alias non intermittit, infestos habere dicitur, Liv. XXXIV. 36. XXXIX. 29. Cic. ad Att. XVI. 1. pro Tull. fragm. 19. de Rep. lll. 12. 8. Qui odio et invidia aliquem persecutur, invisum habet: gladiatores invisus habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt Cic. fr. ex Rhet. 3. Quinct. Inst. X. 1. 125. Curt. VII. 2. 36. Ad eundem modulum facta sunt haec: dubium habere, in quo inest haesitatio, cunctatio, mora, Plaut. Capt. IV. 2. 112. Cic. Acad. II. 9. 29. Tac. Ann. II. 43. XII. 41; expertem amoris natte habui i. e. de amore filii te non feci certiorem Plaut. Pseud. I. 5. 83.; conspicuum habere aliquem i. e. ex oculis non dimittere Lucan. Phars. IV. 170; festum habere diem natalem i. e. cum maxima celebitate agere, Prob. Timol. 5; firmae conjunctionis notionem habet unum habere senatum et populum Cic. de Rep. I. 19. 32; vocem venalem habere de ea voce quae prostat in quaestu praeconio Cic. pro Quinct. 3. 13; cuius simile est: iurisdictionem venalem habere Cic. Verr. jurisd. Sicil. 48. 119. Philipp. III. 4. 10. ad Fam. VII. 24; deinde carum, carissimum habere, quibus nihil est frequentius, maxime in Cic. Epist., intimi amoris ac benevolentiae diuturnitatem ostendunt. Denique certum habere aut in scientiae vel persuasionis stabilitate ponitur saepissime (incertum habere Sall. Jug. 95.; nescium habere Tac. Ann. XVI. 14; multo rarius est certum scire Cic. ad Att. VII. 13. 7; ad Fam. IX. 23; Dolab. ap. Cic. ad Fam. IX. 9), aut in consilii capiendo constantia dicitur, velut: certum non habeo: simulac constituero, ad te scribam Cic. ad Att. Xll. 40. 5; quocum conferas ex eodem epistolarum corpore ll. 22. 1. lll. 8. IV. 18.

§. 23. Hinc haud longe abest adverbiorum usus, copia tamen exemplorum multo inferior: quicunque nos vexant et sollicitant, male nos habere dicuntur: ejus impietas me male habet Plaut. Rud. I. 3. 15; unus scrupulus me male habet Ter. Andr. V. 4. 37; quod te aetas male habet Pacuv. fragm. p. 139; a quo tot annos essent male habiti Prob. Eumen. 2. Ad eandem regulam haec dicta: qui superbe habiti rebellassent Curt. VIII. 8. 11; ut hunc diem luculente habeamus Plaut. Epid. I. 2. 54; in valetudine parum commoda graviter se habere Cic. ad Fam. X. 17; et in tenui victu parce ac duriter se habere Ter. Adelph. I. 1. 20.

§. 24. Superest ut de participiis exponamus, in quo genere locupletissimam habemus Graecorum auctoritatem, qui cum praeteritorum participiis ἔχειν conjungebant, ut actionem quan-dam confirmatam aut manentem possessionem significarent. Sic Kruegerus Gr. Gr. §. 56. 3. adn. 6. Huc si addideris ea, quae Herm. ad Vig. p. 753 docet: „ἔχω περάντας significat pro-prie: sum in ea condicione, quae est ejus, qui perfecit aliquid“, omnia facile explicabis. Quae fusiūs proponere quam non sit hujus loci, nonnulla tantum adhibebo, quae cum latinis aliquam habent comparationem et conjunctionem. Plat. Leg. VII. 793. B. ἀ (νόμιμα) περικαλύψαντα ἔχει τοὺς τότε γραφέντας νόμους prope verbum ex verbo latine redi potest: quae amplexae tenent olim scriptas leges; Herod. I. 27 τῶν Ἐλλήνων τοὺς σὺ δοντώσας ἔχεις latine est: quos oppressos tenes servitute; id. I. 28 τοὺς ἄλλους πάντας ὑπ' ἐωντῷ εἶχε καταστρεψάμενος sub-jectos habuit, quocum concinit Xenoph. Anab. VII. 7. 27 ἀ νῦν καταστρεψάμενος ἔχεις. Herod. III. 87 ἔχει αὐτὶν (manum) κρύψας ἐν τῇσι ἀναξύριοι occultam habet in braccis, item Hesiod. Op. 42 κρύψαντες γὰρ ἔχοντι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι. Demosth. fals. leg. p. 433. εἰς ἕσην ἀιγαίαν τὴν πόλιν ἡ τούτων πονηρία καταστήσασα ἔχει (positam habet); Xenoph. Anal. I. 3. 14. ὁν πολλὰ κρήματα ἔχομεν ἀνηρπακότες (rapta habemus); id. IV. 7. 1. τὰ ἐπιτήδεια πάντα εἶχον ἀνακεφα-misiménoi (convecta habebant); Lycoph. ap. Athen. X. 420 B. δεῖπνον κατέχω (contineo) δεδειπνη-xάς. Θαυμάσσεις ἔχω, quod apud Graecos est usitatum (Plat. Phdr. 257. C. Lucian. Alex. 61, v. Ellendt lex. Soph. v. ἔχω p. 734), Latinorum nemo quod sciām expressit: debebat esse admiratus habeo.

§. 25. Jam quae Latinorum fuerit ratio haec effingendi, videamus. Hi, quum maximo iis impedimento esset participii praeteriti activi defectio, necessitate urgente aut ad deponentium angustias compulsi sunt aut ad passivorum participia descendere coacti. Nam quod Lucretius ausus esse traditur: multa in se semina habent ignis stupiae taedaeque tenentes (VI. 900), id Lachmannum adeo commovit, ut, quod ipse conjecterat ingeniose, ut solebat, reciperet: tepe-n-tis (ignis). Certe diversissimum est hoc Ciceronis nec ullo modo comparandum: tenent sena-tus alteram partem dissidentem a nobis, de Rep. I. 19. 31. Nec multo major est deponen-tium numerus, unumque est verbi habere exemplum in hemistichio Lucretii I. 1068 servato: amplexi quod habent, περιλαβόντες ἔχουσι, saepius et ab optimo quoque alterum verbum usurpatur, sed tantummodo in amplectendi et complectendi vocabulis. Imperium quod am-plexi tenetis Liv. III. 52; natura quae res omnes complexa tenet Cic. Nat. D. II. 11; quae omnes alias figuræ complexa continet, ibid. II. 18; tanto amore suas possessiones amplexi tene-bant, pro Sull. 20. 59; soror fratrem complexa tenet, pro Fontej. 17. 36; quem patria com-plexa tenet, pro Flacc. 2. 5: quod etiam poetis dignum est visum, quo ornarent sententias: Fides amplexa tenebat mentem Reguli Sil. Punic. VI. 132; amplexae divum simulacra tene-bant Virg. Aen. II. 517; uxor complexa collo retinet filiam Plaut. Rud. IV. 5. 13. Quod si quis nollet, alia ei patebat ratio, quam monstravit Cicero: mundus omnia complexu suo con-tinet Nat. D. II. 22, et complexu tenere aliquem i. e. summo studio ac benevolentia di-ligere, Philipp. III. 7. 18: sed quod ait in Pison. 9. 19: patria me suo complexu tenuis-set, defensionem et conservationem significat, quemadmodum Philipp. Xlll. 4. 9: resp. sinu complexuque recipiet Pompeji filium: deuique quod est Platonis Tim. p. 41. B. τὰ γὰρ ἄπαντα (δὲ οὐρανὸς) ἐν αὐτῷ γένη ζῶαν οὐκ ἔξει, id ita convertit Cicero cap. 11: omnia genera animalium complexu non tenebit. Reliqua sunt poetarum: Lucretius de somniis mentes ho-minum ludentibus exponens: cetera sic studia atque artes plerumque videntur in somnis animos hominum frustrata tenere IV. 573, et quae, quia participia modum tantum ac rationem tenendi demonstrant, paulo longius distant: maternum nomen adepta terra tenet Lucr. V. 820; auras in vecta tenebat Juno Virg. Aen. VII. 287.

§. 26. At longe maximus est passivorum numerus, nec is angustis illis finibus cir-cumscripsus, quos nostri grammatici constituunt, verborum cognoscendi et statuendi. Quae

antequam singula percenseo, monendum videtur primum, passivi verbi haberi usum esse per exiguum, alterius satis amplum, utriusque in temporibus auxiliari verbo suppletis paene nullum, ut activi notum habere passivum sit notum esse, activi clausum tenere passivum sit sive clausum teneri, sive clausum esse; clausum habitum esse vel tentum esse nemo fere dixerit (vide quae infra v. irrisus demonstrabimus). Deinde illud considerandum est, habendine verbum plus valeat, an participium. Nam si Cicero ita dicit: relatum habere nomen in codice, pro Rose. Com. 2. 5 (in codicem referri debuit, ib. 3. 8), hoc ad periphrasim minus spectat; contra, quod in sequenti capite legitur 3. 9: cetera nomina in codicem digesta habes, ab eo quod est digessisti nihil fere discrepat. In universo autem hoc genere interest, idem sit et verbi et participii subjectum, an diversum: illud si est, ad operam nostram res pertinet, sin minus, aliena est. Namque scriptum habere aliquid si quis dicitur, aut ipse scripsit aut ab alio scriptum in libris suis habet, velut: ex fatis, quae Vejentes scripta haberent Cic. de Div. I. 44. 100, Vejentes non scripsisse sed antiquitus accepta servasse censendi sunt: sed ibid. II. 18. 42: in commentariis nostris scriptum habemus, res est admodum ambigua. Porro: ex divinitate haustos animos et libatos habemus (Cic. de Div. I. 49. 110. II. 11. 26. de Senect. 21) nemo dubitat, quomodo sint accipienda; sed item miles gregarius dici potest haustam habere aquam i. e. hausisse et ad bibendum paravisse. Ne longus sim, tertio exemplo rem absolvam: illi vestem auro distinctam habebant Curt. III. 3. 13, in hoc sine dubio gestandi est notio; sicubi ad textores referatur, simplicis verbi sit circumlocutio.

§. 27. Discrimen, quod intercedit inter duo illa, de quibus disputamus, verba periphrastica, modo perspicuum est, modo obscurum: quid enim interesse arbitremur in his Lucretii versibus ll. 582: illud in his ob signatum quoque rebus habere convenit et memori mandatum mente tenere? Paulo fortius sine dubio est tenere, quod Gesnerus in Thes. sic explicat: tenere est, id quod habemus velut manu prehensum vindicare sibi et alios excludere. Itaque quod apud Ciceronem legitur Acad. I. 3. 11: dum honores, dum causae me implicatum et constrictum tenebant, haec quae scripseram, inclusa habebam, aliter dici non potuisse apparet: nam si inclusa tenuisse se dixisset, consulto se retinuisse nec edere voluisse significasset: nunc vero in maximarum concursu occupationum libros edere se non potuisse declarat. Quamobrem non injuria Weiskius in praef. ad Cic. orat. pro Marcello Pseudo-Wolfium quendam castigans illud in aliis reprehendit, quod scripserat: graviores plerasque causas sententiae meae tenebam consignatas, quod esset: in scribiis inclusas tenebam, ne quis posset inspicere: oportebat scribi: habebam consignatas.

§. 28. Sed tandem illa, quae supra demonstravi, ad literarum ordinem descripta perlustrabo.  
Abditus. Sub veste abditum habebat cultrum Liv. I. 58.

Ablegatus. Consensus patrum nos ab urbe ablegatos tenet Liv. VII. 13.

Absolutus. Quod me hortaris ut absolvam, habeo absolutum Cic. ad Q. fr. III. 9. 6.

Abstrusus. Nequidquam abdidi, abscondidi, abstrusam habebam Plaut. Merc. II. 3. 25; abstrusos habeo tuam matrem et patrem, id. Cure. V. 2. 8.

Acceptus. Accepta habemus auspicia Cic. de Div. II. 36; acceptum habere se regnum Curt. IV. 1. 18; acceptam habet causam Cic. Off. II. 13. 44.

Accuratus. Ille, quod in se fuit, accuratum habuit, quod posset mali, facere et in me inconciliare Plaut. Bacch. III. 6. 21, quod non erat cur mutaret Fleckeisenus.

Addictus. Pretio habere addictam (vendidisse) fidem et religionem Cic. Verr. jurisd. Sic. 32. 78; addictum, deditum, obstrictum habebitis, id. pro Coel. 32. 80.

Affixus. Me sibi ille affixum habebit, (instabo ei semper et vestigia premam) Cic. ad Fam. I. 8. 3.

**Attentus.** Animum attentum aut is habet vel tenet qui ipse attendit, aut qui alios delectatione tenet. Attentos animos ad decoris conservationem tenebimus Cic. Off. I. 36. 131; contra: perattentos animos vestros habuimus Verr. frument. 5. 10; attentum tenere auditorem Auct. ad Herenn. IV. 11. 16. Cic. Verr. de suppl. 61. 159; retinere att., ad Herenn. IV. 16. 24.

**Captus.** Captum habet qui expugnavit, cepit, nec amisit, tenet, qui expugnavit, cepit, occupavit, effugere non est passus. Urbem vobis, quam captam fere totam habet Liv. XXI. 13. Ne transfugarum duces civitatem captam et oppressam tenerent Liv. XXV. 31; captum hostem teneri latenter post sarcinas, id. XXV. 36; captos et comprehensos tenetis Cic. Cat. III. 7; capti tenemur Lucan. Phars. IV. 504; altera captum me tenet et teneat per longum aevum Ov. Met. XIV. 378; nocturnis ego somniis jam captum teneo Hor. Carm. IV. 1. 38.

**Circumventus.** Legiones teneri circumventas Caes. Gall. II. 24.

**Clausus.** Huic quoque participio utrumque verbum additur ita, ut qui incluserit intusque habeat, clausum habeat, qui incluserit nec ex manibus dimittat, clausum teneat. Clausum et circumfusum habuit hostem Liv. XXII. 4; quam ut hostes clausos habeant id. XXXVII. 15; clausa habere (celare) consilia Cic. Verr. frum. 25. 63, quocum congruit Ovid. Fast. IV. 846 lacrimas obortas rex devorat et clausum pectore vulnus habet; — se enim clausas habuisse portas Liv. XXIV. 22. Minus huc pertinet: Incaluit Deo, quem clausum pectore habebat Ovid. Met. II. 641, quocum comparandum est notissimum illud: est Deus in nobis, agitante calescimus illo. — Clausos portus teneri Caes. Civ. III. 23 (codicum lectio tueri defendi nullo modo potest), mare tutum et clausum tenetur Cic. Prov. cons. 12. 31; clausos intra vallum retentos Liv. XXII. 25; et modo claudentes aciem cingens clausos ipse tenet Sil. Pun. VII. 590; clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata Cass. ap. Cic. ad Fam. XII. 12; tametsi ipsum cum exercitu fame et ferro clausum teneret Sall. Iug. 38; clausum frumentum continebant Cic. pro dom. 5. 11.

**Coactus.** Equitatum coactum habebat Caes. Gall. I. 15.

**Coctus.** Epeum, qui legioni nostrae habet coctum cibum Plaut. ap. Varr. L. L. IV. p. 51. Aequalem locum Merc. II. 3. 64 Ritschelii manus correxit: praehibeat (olim erat: quaeque habeat) cotidianum familiae coctum cibum.

**Cognitus.** Omnes habeo cognitos sensus adolescentis Cic. Phil. V. 18. 50; penitus cognita habere consilia id. ad Fam. X. 12, ubique tritum et quotidianum, sed tenere cognitum prope singulare est apud Lucr. II. 1090 quae bene cognita si teneas, quod eo est mirabilius, quia tenere ipsum saepissime intelligentiae ac scientiae notionem comprehendit (totam tenebat rem penitusque cognorat Cic. Brut. 48. 178; quae nota sunt omnibus, quae tenentur Sulpic. ap. Cic. ad Fam. IV. 5. 4).

**Collatus.** Domitius qui dies complures castris Scipionis castra collata habuisset Caes. Civ. III. 79.

**Collectus.** Collecta habent (in libris) Stoici Cic. de Div. II. 70.

**Collocatus.** Suas pecunias in ea provincia collocatas habent Cie. Manil. 7. 18.

**Commendatus.** Habere aliquid commendatum (sich etwas empfohlen sein lassen) sive addito sive omissio dativo pronominis, in epistolis Ciceronis ubique legitur: Cujus salutem commendatam habebam a senatu, ad Fam. XV. 4. 6; verum ita, ut qui habeat idem sit atque is qui commendaverit, equidem non legi.

**Compertus.** Id se ab ipsis compertum habere (comperisse) Caes. Gall. I. 44, per vulgatum est.

**Comprehensus.** Formam comprehensam animo habuit Cic. Or. 5. 19; comprehensum animo ac perceptum habet id. Acad. II. 31. 100. In his tam molesta est nonnunquam vocabulorum idem significantium cumulatio, ut subeat animum suspicio quaedam: habere bene cognitam voluptatem et satis firme conceptam animo atque comprehensam Cic. de Fin. II. 6. 2;

nihil habeat comprehensi, percepti, cogniti, constituti id. Acad. II. 8. 23, et ejusdem voluminis cap. 46. 141 certum, comprehensum, perceptum, ratum, firmum, fixum; quae non lactea, sed putida ubertas quomodo placuerit Ciceroni, non assequor. Multo rarius in hoc est tenendi verbum; comprehensam tenuit columbam Virg. Aen. XI. 723; comp. atque oppressam audaciam teneri Cic. pro Flacc. 16. 38; animo haec tenemus comprehensa Cic. Acad. II. 7. 21, quod idem paucis versibus post distractis membris dicit: quod non animo comprehendit et tenet; eam sic animo comprehensam tenebit ibid. II. 37. 119; alterum percepta et comprehensa tenere videamus ibid. II. 7. 22; Babylonii multa millia annorum monumentis comprehensa continent id. de Divin. I. 19. 36, i. e. complexi sunt scientia.

**Compressus.** Compressa teneri possunt corpora Lucr. VI. 454; carcer flamina (ventos) imperio compressa tenet Sil. Pun. IX. 492; compressum aliquod frumentum tenerem i. e. abscondissem Cic. pro dom. 6. 14.

**Conceptus.** Spem habeo conceptam Liv. XXV. 38, quod alio modo dicit: hoc spe concipere id. XXXIII. 33; praecordiis conceptam mortem continere Cic. Tusc. I. 40. 96.

**Conclusus.** Non placet qui amicos intra dentes conclusos habet Plaut. Trin. IV. 2. 64.

**Conditus.** Conditas habebant (conservabant) literas publicas in aerario Cic. Verr. de sign. 63. 140; condita signa mente teneto Virg. Aen. III. 388; ni teneant rigidae condita bella serae Ov. Fast. I. 124, i. e. abscondita.

**Conductus.** Conclaves conductas habent (alunt mercenarios greges) Cic. pro Sest. 49. 104. 105; quum arationes magnas conductas haberet Verr. frum. 21. 53; agrum in Segestano conductum habebat ibid. 40. 93; qui colonus habuit conductum fundum, pro Caecin. 32. 94; solebat enim extra portam habere aliquid conducti, pro Cluent. 62. 175.

**Confectus.** Bellum confectum jam haberemus Cic. Epist. fragm. V. 2. 3, non potest dijudicari, utrum sit confecisset, an pace jam frui liceret.

**Conjunctus.** Quoniam et conjungere aliquem et se conjungere cum aliquo pariter dicitur, conjunctum habere est: mit Jemand in Verbindung bleiben, die Verb. unterhalten; ut Dejotarum maxime conjunctum haberem Cic. ad Fam. XV. 2; me quem conjunctum semper habuisti, id. ad Att. XVI. 16 B; haberet adolescentes amore conjuctos Tusc. V. 20. 58. Verum quod est in Ep. ad Brut. I. 14 Brutum conjunctum habemus cum Planco, id hanc habet explicationem, suppetit nobis ( $\delta\piάρχει \eta\mu\alphaν$ ), quod Brutus se conjunxit cum Planco. — Conjuncta tenetur anima Lucr. IV. 890.

**Connexus.** Brachia connexa tenentem Ov. Met. IX. 311.

**Conscriptus.** Quin militibus, quos conscriptos haberent, diem edicerent Liv. XL. 26; Antiphontem similia quaedam habuisse conscripta (conscriptisse) Cic. Brut. 12. 47; puto conscripta habere Offilium omnia, id. ad Att. Xlll. 37.

**Constitutus.** Aut ad collocationem pertinet, aut ad consilium, utrumque saepissime, rarius confirmationem significat. Legionem constitutam habebat Auct. b. Alex. 68; se constitutum habuisse, transfugeret Auct. b. Hisp. 19; si quod constitutum (pactum) habes cum podagra, fac ut differas, ad Fam. VII. 4; habuisse constitutam disciplinam, de Fin. IV. 2. 3; necessitudinem constitutam habui, ad Fam. X. 3.

**Constrictus.** Constrictam teneri conurationem tuam non vides? Cic. Cat. I. 1; se constrictum a collega teneri Liv. XXII. 44.

**Conterritus.** Dum conterritum obsidionis metu fratrem haberet Liv. XLV. 11.

**Conturbatus.** Epistola me conturbatum tenuit (versetzte mich in anhaltende Bestürzung) Cic. ad Att. XV. 9.

**Convexus.** Frumentum convectum habere Caec. Civ. III. 74.

**Copulatus.** Inter se quaedam possint coplata teneri Lucr. VI. 1088.

**Corruptus.** Aetas corrupta tenebatur Sall. Cat. 2.

- §. 29. **Decuriatus.** Quum decuriatos et descriptos haberes exercitus Cic. pro domo 5. 13.  
**Deditus.** Animum amori deditum habebam Ter. Hecyr. III. 1. 14.  
**Defixus.** Vultus tenebat defixos Sil. Pun. XVII. 214.  
**Denotatus.** Res non habent denotatas Cic. Acad. II. 18. 57.  
**Deportatus.** Ut omnes decumas ad aquam deportatas haberent (ut deportarent cum iisque praesto essent) Cic. Verr. frum. 14. 36, 37; 20. 51.  
**Depositus.** Puerum depositum habere foris Afran. ap. Non. v. deponere; aiunt se depositam habuisse pecuniam Cic. ad Fam. XIII. 56.  
**Deprehensus.** Principum literas deprehensas habebant Liv. XLV. 31.  
**Descriptus.** Habuit plebem descriptam in clientelas principum Cic. de Rep. II. 9; descripta tenentur suffragia a paucis, id. de harusp. resp. 28. 60.  
**Despicatus.** Vir me habet pessumis despiciatam modis Plaut. Casin. II. 2. 15. Proximi versus creticos ego sic decurrere jubeo: nec mihi jus meum jam obtinendi optio: jam elisum est antecedentis vocabuli extrema syllaba.  
**Devinctus.** Tribus largitione devinctas habere Cic. pro Planc. 15. 37; illum filium devinctum tuis copiis habere non potes, id. pro Coel. 15. 36; me maximo beneficio devinctum habebis, id. ad Att. XVI. 16 B; — devinctam et constrictam tenere Italianam, id. in Rull. I. 5. 16.  
**Dictus.** Satis jam dictum habeo Plaut. Pers. II. 2. 32; de Caesare satis dictum habebo Cic. Philipp. V. 19. 52.  
**Dimensus.** Domum, quam te jam dimensam et exaedificatum animo habebas (i. e. quam animo praeceperas te jam dimensum esse) Cic. ad Att. I. 2. 6.  
**Directus.** Naves directas habebant Liv. XXXVII. 23.  
**Disjectus.** Materies tenetur disjecta (distinetur) Lucr. II. 939.  
**Dispersus.** Hydra dispersa tenetur Cic. poet. Arat. 646.  
**Dispositus.** Oculos mentemque ad mare dispositos directosque haberet Auct. b. Afric. 26; dispositas habere stationes Caes. Gall. V. 16; disposita habere hiberna Liv. XXXII. 32.  
**Distributus.** Cohortes distributas habere Pomp. ap. Cic. ad Att. VIII. 12 A.  
**Divisus.** In alas divisum exercitum habebat Liv. XXXI. 21.  
**Domitus.** Auctoritate nutuque legum domitas habere libidines Cic. de Or. I. 43. 194; servum domitos habere oportet oculos et manus orationemque Plaut. Mil. gl. II. 6. 81; omnia domita armis habere Liv. VII. 32; ut Hispaniam domitam habeatis (i. e. in officio contineatis) Liv. XXVIII. 39. — Non pertinet huc ejusdem locus XXX. 37, ubi sic interpungenda narratio est: traderent, elephantosque, quos haberent, domitos, neque domarent alios.  
**Editus.** Necrum omnia edita facinora habent Liv. XXXIX. 16.  
**Eductus.** Eductum tene vagina ensem Sic. Punic. XIII. 442.  
**Effectus.** Id se prope iam effectum habere Caes. Gall. VII. 29.  
**Elaboratus.** Unum illud habebant dicendi opus elaboratum Cic. Brut. 59. 214.  
**Elatus.** Non elata habebant scuta, sed praetenta Liv. XLIV. 9.  
**Emeritus.** Qui emerita stipendia habebant Liv. XXXVII. 4, XXXIX. 38; annum tempus emeritum habebamus Cic. ad Att. VI. 5. 2.  
**Emptus.** Iudices emptos habere Cic. Verr. frum. 62. 145; fundum emptum habebat (emerat et possidebat) id. pro Tullio fragm. 16.  
**Ereptus.** Ereptas victor habebat opes Ovid. Epist. IV. 7. 26.  
**Excusatus.** Excusata habe (excusa) vitiosa id. Trist. IV. 1. 1.  
**Exercitus.** Quae sodalem atque me exercitos habet (vexat et cruciat) Plaut. Bacch. fragm. 7; ita nos nostramque familiam habes exercitam, id. Milit. fragm. 1; multiplex aerumna me exercitam habet, id. Epid. IV. 1. 3 (versum non expedio); an parum hic me exercitum

hisce me hahent? id. Pers. V. 2. 74. Exercendi verbum idem significare nihil opus est quod moneam (Ter. Adelph. IV. 2. 48).

**Expeditus.** Subsidia habere expedita Planc. ap. Cic. ad Fam. X. 24; expeditas habere rationes Cic. ad Fam. X. 25.

**Explicatus.** Explicatam atque exploratam rationem habere Cic. ad Fam. VI. 1. 1.

**Exploratus.** In re certa et minime dubia exploratum habere tritissimum est: qui scire possit — et qui illud exploratum habeat Liv. XL. 36. Non est in hoc numero velut exploratam pacem habere Cic. Philipp. VII. 6. 16, ubi participio vel adjectivo cum verbo nulla est conjunctio, quemadmodum: profligatum habere bellum Liv. XXXVI. 6.

**Exscriptus.** Bonos in aliis tabulis exscriptos habet Plaut. Rud. prol. 21.

**Falsus.** Neque ea res me falsum habuit (fefellit) Sallustius ausus est Jug. 10, notatus ob eam causam a Quinctil. IX. 3. 12.

**Firmatus.** Vos omnia operibus firmata habuisse Liv. XXV. 38.

**Fixus.** Lumina fixa tenet Ovid. Met. VII. 87; fixos oculos tenebat Virg. Aen. I. 486, VI. 469; haec fixa gravi fato ac fundata teneri (*πεπλωμένα εἶναι*) Cic. poet. deDivin. I. 12. 20; illud fixum in aminis vestris tenetote id. pro Balbo extr.

**Illigatus.** Magnis et multis pignoribus Lepidum respublica illigatum tenet. Cic. Phil. XIII. 4. 8.

**Implicatus.** Familiares consuetudine implicatos habeo Cic. ad Fam. VI. 12; qui omnibus legibus implicatus tenebare, id. Verr. frum. 35. 82; mea ratio fuit alia, quod implicatus tenebar, id. ad Fam. I. 9. 4.

**Inclusus.** In curia inclusum senatum habuerunt Cic. ad Att. VI. 2. 5; saepius tenere: inclusum teneri Persea Liv. XLV. 3, et fortius etiam: eodem capite inclusi continentur Cic. in Rull. II. 16. 40; tu quam M. Bibulum inclusum domi contineres id. in Vatin. 9. 22, atque iisdem fere verbis pro dom. 42. 110.

**Indictus.** Templis Deorum bellum habuit indictum (im erklärten Kriege stehen) Cic. Verr. de suppl. 72. 188.

**Informatus.** Ut, quae nunquam vidimus, ea tamen informata habeamus (eine feste Vorstellung haben) Cic. de Divin. 67. 138.

**Insculptus.** In animo res insculptas habebat Cic. Acad. II. 1. 2.

**Institutus.** Jam instituta, ornata, deformata cuncta animo habebam (*ἐπετευπάμην*) Plaut. Pseud. II. 3. 11; ea quae habes instituta Cic. ad Fam. V. 12 extr.

**Instructus.** Instructam habuit aciem Caes. Gall. I. 48, Liv. XL. 48; instructas et paratas naves in aqua habere Lentul. ap. Cic. ad Fam. XII. 15; tenere instructum est instruxisse et continere Liv. XXII. 45. XXXVI. 38. XL. 30.

**Intentus.** Arcus intentos habebant Curt. III. 4. 13; ea cura maxime intentos habebat Romanos Liv. XXVI. 1; intentos proelio Numidas habuerat Sall. Jug. 94. 3 (in Aufmerksamkeit erhalten): et nisi versus vetuisset, Virgilius Aen. II. 1 cecinisset: Conticuere omnes intentaque ora tenebant: nunc ad eos qui audiebant participium referre coactus erat.

**Interclusus.** Libertatem interclusam tenebunt (ex eo repetitum videtur, quod dicitur: spiritum intercludere) Cic. in Rull. II. 28. 75.

**Irretitus.** Stoici laqueis te irretitum tenerent Cic. de Or. I. 10. 43; illam beluam, iudicii laqueos declinantem iam irretitam teneret, id. pro Mil. 15. 40; si tantus vir irretitus teneatur, id. de Fin. V. 18. 49.

**Irrisus.** Me impune irrisum esse habitum, depeculatum eis Plaut. Epid. III. 4. 83, notable propter passivam verbi, quod est habere, formam cum auxiliari verbo conjunctam, qua de re supra demonstravi. §. 26. Insequentem versum vix dubium est quin poeta ita finxerit: Sic mihi data esse vérba praesentí palam.

**Iunctus.** Eloquentiae sapientiam junctam habere Cic. de Or. III. 35. 142; ut amicitiam colunt atque ut eam junctam bene habent inter se Plaut. Cist. I. 1. 28. His confine est: quae junctio aliqua tenebantur Cic. Tusc. I. 29. 71.

§. 30. **Mandatus.** Mandatum memori menti tenere Lucr. II. 583.

**Mersus.** Mersam tenuit puppim aequore Sil. Punic. XVII. 271.

**Missus.** Illa missa habeo, quae ante agere occipi Plaut. Pseud. II. 2. 8. Cicero constanter missum facere dixit.

**Nexus.** Capita inter se nimis nexa habent Plaut. Mil. IV. 8. 24.

**Notatus.** Furta omnia notata habent et perscripta Cic. Verr. praet. urb. 21. 57; notatos habet locos, id. part. or. 31. 109; qui non habent animo notata (praesidia) planeque cognita, id. de Rep. II. 6.

**Notus.** Notos et tractatos locos habere Cic. Or. 33. 118; nisi moderationem animi tui notam haberem Curt. IV. 11. 7; si nota satis praesagia nostrae mentis habes Ovid. Met. XV. 439. Ita si quis melius novit rem, notiorem habet Cic. Or. 31. 112, qui ignorat, ignotam habet: non miror Silanam nunquam edito partu matrum affectus ignotos habere Tac. Ann. XIII. 21.

**Obligatus.** Majoribus habes tuos beneficiis obligatos Cic. Phil. II. 45. 116.

**Obrutus.** Nilus Aegyptum obrutam oppletamque tenet Cic. Nat. D. II. 52.

**Obsessus.** In re militari sexcenties dicitur obsessum tenere (Sall. Jug. 24. Cic. pro Sest. 39. 84. Virg. Aen. II. 802), sed singulare est Ciceronis Orat. 62. 210: obsessus est ac tenetur is qui audit, imagine a capta urbe petita, quae ipsa quoque teneri dicitur.

**Obsignatus.** In his rebus illud obsignatum habere convenit Lucr. II. 582.

**Obstrictus.** Civitates obstrictas habere volebat Caes. Gall. I. 9, et quod plus ponderis habet: obstrictum teneri fide, id. Civ. II. 17. Cic. pro Coel. 19. 47; foedere obstr. teneri, id. in Pison. 13. 29 et 30.

**Obstupefactus.** Gallos obstupefactos miraculum victoriae tenuit Liv. V. 39.

**Occlusus.** Occlusoremque habeant stultiloquentiam Plaut. Trin. I. 2. 185.

**Occultus.** Occultos habentes gladios sub loricis Liv. XXII. 48; neque occultum id haberi tibi Plaut. Aul. II. 1. 12.

**Occupatus.** Qui aut in opere aut in pugna occupatum animum haberent Auct. b. Alex. 15; in quo auditor animum debeat habere occupatum Cic. de Invent. I. 22. 31; comitiorum dilaciones occupatiorem me habebant, id. ad Fam. VIII. 4. 1. — Amores nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt, id. pro Coel. 19. 44.

**Oppressus.** In defectione solis explicanda Lucretius lunam dicit solem oppressum tenere V. 763: solet autem in civitatis, urbis, reipublicae libertate ad servitutem redacta dici, quo nihil tritus (Prob. Thrasyb. 1. Liv. XXV. 29. Cic. pro Mil. 14. 38).

**Pactus.** Maxime in condicione uxoria: habere rem pactam (olim perperam factam) Plaut. Stich. IV. 1. 60; quae res bene vortat, habeon pactam? id. Trin. II. 4. 99, quemadmodum: id tibi promissum habeto, id. Asin. I. 3. 14. Pro eo quod est pepigisse legimus apud Liv. XXV. 28: expositis, quae pacta jam cum Marcello haberent.

**Paratus.** Rarius est pro participio, ut paratum habere idem sit quod paravisse: in quo genere possunt esse talia: paratam instructamque habebant classem Liv. XXX. 3; paratum habere commeatum, id. XXVI. 8. Longe creberimus est adjectivi usus, ut qui paratum aliquid habeat (bereit halten), ei, ubi opus fuerit, praesto sit: Providentiae divinae materiam praesto esse oportuit, non quam ipsa faceret, sed quam haberet paratam (*ὑποκειμένην*) Cic. Nat. D. fragm. 2. Inde factum esse opinor, ut nunquam diceretur paratum tenere, quandoquidem ex ea re, quae habetur, transitio fieri potest ad res externas id est ad usum, ex ea, quae continetur, non item. Ut si quis pecuniam habet paratam, empturus esse aliquid cogitatur, si qua tenetur parata pecunia, ejus usus excluditur. — Ut iter semper aliquod præparatum fugae

haberet Liv. XXXIX. 51, paucisque versibus infra: venenum multo ante praeparatum ad tales habebat casus.

**Partus.** Vi atque injuria partum habere (peperisse et in possessione habere) Liv. XXXIV. 62; probitate partam gratiam habeo id. XL. 12; quod provincias ita partas habent qui nunc obtinent Cic. Prov. cons. 2. 3; qui aut fenore aut periuriis habent rem partam Plaut. Men. IV. 2. 15 (cf. Casin. II. 2. 27. Trin. IV. 1. 19).

**Perceptus.** Percepta habuit paecepta philosophiae Nep. Attic. 17; perceptas et pertractatas humanas res habere Cic. Tusc. III. 14. 30.

**Percursus.** Causas percursas animo et decantatas habere Cic. de Or. II. 32. 140.

**Perspectus.** Perspectam habebat Aeduorum perfidiam Caes. Gall. VII. 54; animum militum p. h., id. Civ. III. 84. Liv. XXXVIII. 1; si me perspectum habes Cic. ad Fam. III. 10. 3; meam vitam et studia perspecta habes Lepid. ap. Cic. ad Fam. X. 34; Clodii animum perspectum habeo, cognitum, iudicatum, Ep. ad Brut. I. 1.

**Persuarum** habere nihil attinet exemplis confirmare: hoc moneo Zumptium (Gr. §. 634) ne nunc quidem didicisse, aut persuasum habeo aut mihi persuasum est dicendum esse: poterat discere a Ferd. Schultzio, qui Gr. lat. §. 407. 3. adn. 1 Caesaris loco recte composito diuturnum errorem primus sustulit. — **Persuassimum** habeo Cic. Oeconom. fragm. 5.

**Positus.** Spem positam habere Prob. Eumen. 11, et saepissime optimus quisque; castra posita habet, Cass. ap. Cic. ad Fam. XII. 13; in statione militum Caes. Civ. III. 62: ad eas munitiones Lentulum cum legione nona positum habebat. Non huc spectat: avari incertas res et in casu positas habent Cic. Parad. VI. 52.

**Praepositus.** Narravit mihi pater, quo pacto me habueris praepositam amori tuo Ter. Hecyr. IV. 2. 6.

**Praesumptus.** Quicunque casus temporum illorum noscent, praesumptum habeant (praesumant et sciant), grates diis actas Tac. Ann. XIV. 64. Quod comparat Orellius Livii XLII. 61: praecjudicatum eventum belli habetis, a nostra disputatione alienum est.

**Praetentus.** Praetenta forti tela tenent dextra Ovid. Met. VIII. 341.

**Prehensus.** Dextra prehensum me continuit Virg. Aen. II. 592 ex parte huc pertinet, nam cum verbo conjuncta est prohibendi notio.

**Promptus.** Etsi adjectivorum generi addictum est, aliqua tamen ex parte promendi tenet significationem. Promptum habere et vultu et lingua i. e. aperte pae se ferre Cic. pro Planc. 14. 34; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere Sall. Cat. 10; quando turbare gentiles nationes promptum haberet Tac. Ann. XI. 1, facultatem turbandi ostendit, cf. XV. 19.

**Promulgatus.** Omnes habuerunt leges promulgatas Cic. in Vatin. 7. 16; habet promulgatum idem illud, id. ad Attic. I. 18. 7.

**Propositus.** Propositam sibi habere spem Auct. b. Hisp. 22, Cic. in Caecil. 22. 72; haec habet proposita, haec tueri vult, id. Phil. X. 11. 23; judiciis propositam vitam habere debemus i. e. semper proponere, id. de Rep. IV. 10. 33.

**Purpurissatus.** Buccas habes purpurissatas (tibi infuasti) Plaut. Truc. II. 2. 35.

§. 31. **Raptus.** Quae cuncta iste Romulus rapta tenet Sall. or. Lepid. 5.

**Rectus.** Ad nostras aedes hic habet rectam viam Plaut. Trin. IV. 2. 26; ego illum haberem rectum ad ingenium bonum, id. Bacch. III. 3. 8. — Navem nos damus operam ut rectam teneamus i. e. ut navis cursum dirigamus Cic. ad Fam. XII. 25.

**Redemptus.** Redempta habere portoria complures annos Caes. Gall. I. 18; qui flumina retanda (purganda) redempta habent, ex edicto pae Gell. XI. 17. 2.

**Relictus.** Res omnes relictas habeo pae quod tu velis Plaut. Stich. II. 2. 38.

**Repertus.** Multos vidi regionem fugere consili prius quam repartam haberent Plaut. Mil. III. 3. 12.

**Sanctus.** Civitates habent legibus sanctum, ut, si quis —, ad magistratum deferat Caes. Gall. VI. 20. Aliud est: sancta habere tempa Prob. Ages. 4; sanctos habere hospites Caes. Gall. VI. 23.

**Scriptus.** In adversariis scriptum habebas Cic. Rosc. Com. 3. 9; at nullos homines habeo scriptos, sic memini tamen Plaut. Mil. I. 1. 48.

**Secretus.** Maxime probabile est quod restituit Doerryus Progr. Torgav. 1860 pag. 9 apud Quintet. X. 3. 25: clausum cubiculum et lumen unum et velum (aulaeum) secretos (a coetu hominum) maxime teneat: certe, quod olim legebatur: velut tectos teneat, non habet quomodo expediatur.

**Segregatus.** Segregatum a me habuisse Pamphilum Ter. Hecyr. V. 1. 26.

**Sepositus.** Sepositam et conditam habeamus Sibyllam Cic. de Divin. II. 54; Eroti dixeram, ut sepositum haberet, id. ad Attic. XVI. 15.

**Septus.** Ad consulatum viam fieri passuros, qui tribunatum septum tam diu habuerint Liv. VI. 37: et vehementius et frequentius est septum tenere: quum corpore animus tanquam carcere septus teneretur Cic. pro Scaur. fr. 4; bene dicere non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis septum (septa quorū spectet, non intelligo; ad artem si referretur, scriptum esse oportuit bene dicendi) teneatur, id. de Or. II. 2. 5; domi teneamus eloquentiam septam liberali custodia, id. Brut. 96. 330; fossa et vallo septum Pompejum tenet, id. ad Attic. IX. 12; quae (mens divina) sensus hominum vitasque retentat septa atque inclusa cavernis, id. de Consul. suo II. 4.

**Spectatus.** Fidem meam habent spectatam et diu cognitam Cic. in Caecil. 4. 11.

**Statutus.** Velim ita statutum habeas (credas et confidas) Cic. ad Fam. VI. 2; habuisti statutum cum animo ac deliberatum, id. Verr. frum. 41. 95; neque enim statuti quid habere potuisti (tecum constituisse) id. ad Fam. XII. 25. 2; si habes jam statutum, ibid. IV. 2.

**Subductus.** Quid intersit, habes subductum (du hast durch Subtraction die Differenz berechnet) Cic. ad Att. V. 21. 8

**Sublectus.** Tune sublectos habebis liberos parentibus? i. e. tune sublegeris virgines, ut indigno quaestu conteras? Plaut. Rud. III. 4. 44.

**Suppactus.** Qui habeat auro soccis suppactum solum Plaut. Bacch. II. 3. 98. Verbi suppingere perfectum non exstat.

**Suspectus.** Suspiciendi verbum etsi in bonam partem accipi consuevit, tamen, ubi nulla est ambiguitas, Sallustius ausus est in mala suspicione ponere Jug. 70. Pro eo tritissimum est suspectum habere.

**Suspensus.** Laudem philosophiae statuo esse maximam, non aliunde pendere nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere (suspendisse) rationes Cic. ad Fam. V. 13. Admodum rara est in verbo ipso adducendi in haesitationem et dubitationem aut ad animi attentionem significatio: malebant Latini dicere: suspensum tenere, idque dupliciter, ut aut suspensus teneretur aliquis exspectatione (Cic. Brut. 54. 200: ad Attic. X. 1; Liv. V. 39; Virg. Aen. VI. 722), aut exspectatio vel spes suspensa teneretur (Cic. pro Cluent. 3. 8; Planc. ap. Cic. ad Fam. X. 8). Segregandum est ab his Livianum XXXV. 6: suspensa omnia se habere in Liguribus i. e. omnia apud se esse incerta et infida et ad rebellandum prona.

**Tectus.** Ut tecta haberet latera Auct. b. Afric. 51; tectum habere caput Curt. VIII. 3. 12; probe tectum habebo (reticebo) Plaut. Most. IV. 1. 14.

**Tensus.** Semper tensum habere arcum Phaedr. fab. III. 14. 10.

**Textus.** Corpora texta (conjuncta) tenentur Lucr. VI. 351.

**Tractatus.** Quae usu jam tractata et animo quasi notata habere videamus Cic. de Or. II. 29. 129.

**Transvectus.** Apparatum omnem transvectum habebat Liv. XXXVIII. 28.

Vadatus. Ita me vadatum amore vinctumque attines Plaut. Bacch. II. 2. 3.

Vestitus. Quando te auratam et vestitam bene habet (auro exornavit et vestivit) Plaut. Men. V. 2. 50.

Vinctus. Vinctos habet vestros duces Curt. IV. 14. 22; qui eum vinctum habebit, ex XII. tabb. Gell. XX. 1. 45; vinctum puer alter habebit Tibull. I. 9. 79. — Freta vincta tenes glacie Ovid. Epist. III. 1. 15; quae jacere in fraudem possent vinctosque tenere Lucre. IV. 1203; a semet occupatos esse et vinctos teneri Curt. VII. 5. 22.

Visus. Quae exempla aut visa aut audita habebam Liv. XL. 8.

§. 32. Denique horum auxiliarium supplementa quaedam ac subsidia haec Latini habebant: Egone ut haec conclusa gestem Plaut. Bacch. III. 1. 8; infixum haerere Cic. Phil. II. 26. 64; implicatum haerere Pomp. ap. Cic. ad Att. VIII. 12 C. me clausum obsidet Sall. Jug. 24; inclusum in curia senatum obsederat Cic. ad Att. VI. 1. 4; suspensum pendere Cic. Tusc. V. 12. 36; cineta premebantur Capitolia Ovid. Fast. VI. 351; quidquid partum congestumque possident Liv. XXI. 43; patrimonium domestici praedones vi eruptum possident Cic. Rosc. Am. 6. 15; condita pocula servo Virg. Eclog. III. 43 et 47; clausos equos servant id. Georg. III. 214.

Quae restat disputatio de verbis *fore*, *forem*, *ire*, *eam*, quoniam terminos hujusmodi scriptorum egredi vetamur, quam proxime licebit, absolvemus.

**Dr. F. L. Lentz.**

